OLYMPUS
SANCTITATIS
STADIUM RELIGIOSÆ
imò & Chriſtianæ virtutis decurrentibus
PROPOSITUS.
SEU
MANUDUCTIO HOMINIS,
POTISSIMUM RELIGIOSI,
per allocutiones aſceticas,
ad
Sublimiorem & excellentiorem,
nec vulgarem Sanctimoniam.

Authore P. Stephano Poninſki Soc: Jeſu.

Anno Domini 1719.
Typis Clari Coll: Poſn: Soc: Jeſu.



Ex Mundo Symbol: Picinelli.

OLympus inter Græciæ montes facilè princeps, sese supra mediam aeris regionem ita attollit, ut nubibus superior terrenos hominum oculos penitùs effugiat à compluribus aliis minoribus montibus veluti quadam coronâ cinctus. Hinc de illo apud Pòëtam: *Nubes excedit Olympus*

In speculo Imagin: Verit.

Jam à Jacobo Massenio illi sublimitatem & excellentiam Beatissimæ Virginis Matris in se exprimenti adscriptum: *Nubibus altior extat.*

\- - - Altus Olympi
Vertex qui spatio ventos hyemesq; relinquit
Perpetuo, nullum temeratus nube serenum,
Celsior exsurgit pluviis, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.
Claudianus.

Validissimo Cœli & Ecclesiæ Atlanti,

OLYMPUM,

Et quid quid in terra Summum est
Excedenti,
Humanam magnitudinem
Famâ & immortali Nomine
Superanti
Cœlum virtutibus & meritis exæquanti
Præmio & gloriâ ipsum implenti Empyreum
Magno DEI Servo
Et maximis DEI Servis Pari

SANCTO IGNATIO de LOJOLA,

Fundatori SOCIETATIS JESU.

Simulq́
Excellentissimæ Sanctitatis,
Christianæ perfectionis,
Solidarumq́; Virtutum
Tum majoris semper Divinæ gloriæ
ASSERTORI GLORIOSISSIMO
Aliis plurimis titulis toto orbe cœloq́;
SPECTATISSIMO

Patri

PATRI demum & PATRONO ÆSTIMATISSIMO
Minus tanto nomine opuſculum
Et minus filiali debito,
Hoc eſt
Ex magnitudine & dignitate materiæ
OLYMPUM SANCTITATIS
Ex tenuitate auctoris & ipſius laboris
Atomum
Pro obligato in æternum affectu
Dedicat pedibusq; unà ſecum adſternit,
Ut vel ſic ſaltem in parem Olympo molem
Grandeſcat:
Sat eo ipſo Lucis habiturum,
Si ſub umbra IGNATIANI Nominis & protectionis
Latebit.
Satis Fortunæ:
Si vel retrudente pede tangi dignabitur
Merebiturq; aſpici ipſo in deſpectu
In ipſa ſui improbatione ac rejectione agnoſci
Non modico per id ipſum ſibi imprimendo honore & pretio
Dum etiam calcabitur.

Indigniſſimus Filius
æternumq; Obligatiſſimus
Cliens
Stephanus Poninſki, *Soc.* JESU.

IMPRIMATUR.

FRANCISCUS KAZNOWSKI,
Archi-Diaconus Psceevensis
Judex Surrogatus Posnaniensis.

m. p.



FACULTAS
R. P. VISITATORIS
Per Poloniam.

CUm Opus quod inscribitur: OLYMPUS SANCTITATIS, à Patre Stephano Poninski, Societatis Nostræ Sacerdote Conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi

edi posse probaverint; potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro Michàéle Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas & Sigillo munitas dedi. Posnaniæ, 8va. Martii, 1719.

REINHOLDUS GERT,
Visitator & Vice-Præpositus Provincialis Soc: JESU, per Poloniam.

ALLOCUTIO PRÆLIMINARIS UNICA,

Ad non vulgarem Sanctimoniam nulla re magis, quàm magnô & non abjectô animô opus esse.

PARS PRIMA.

Motiva & invitamenta ad sublimiorem & excellentiorem Sanctimoniam proponens.

MOTIVUM I.

Vocationem Religiosam, non vulgarem Sanctimoniam à nobis exigere.

MOTIVUM II.

Vocatio ad Societatem JESU, quidquid in Sanctitatis Studio vulgare est, à nobis proscribit.

MOTIVUM III.

Obsequium & cura salutis animarum, Societati ex fine vocationis ac Instituti præfixo, aliis quibuscunq; ex quocunq; titulo, motivo, præscripto, incumbens, nihil vulgare in ratione Sanctimoniæ requirit.

MOTIVUM IV.

Spectator mundus censorq; cujuscunq; ac religiosi potissimũ nominis acerrimus, non vulgaris à

nobis Sanctimoniæ exactor est.

MOTIVUM V.

Ratio vitæ activæ in Religionibus plerisq; ac etiam in Societate, non vulgariter sanctos nos esse exigit.

MOTIVUM VI.

Exempla Patrum unius cujusq; Religionis Domestica, ad non vulgarem nos provocant Sanctimoniam.

MOTIVUM VII.

Exemplis externis sæcularium DEO & virtuti solidè famulantium, non vulgaris svadetur sanctimonia.

MOTIVUM VIII.

Exemplis sæcularium mundo & vanitati militantium, non vulgaris sanctimoniæ cura suadetur.

MOTIVUM IX.

Non vulgarem in nobis sanctimoniam singulariter à DEO probari atq; exigi.

MOTIVUM X.

Non parum DEO displicere in Religioso sublimioris sanctimoniæ neglectum.

MOTIVUM XI.

Cælestis gloria ac beatitudo non leve ad sublimem sanctimoniam invitamentum.

PARS

PARS SECUNDA.

Essentialia & peculiaria sanctimoniæ non vulgaris proponens.

I.

Sublimitas ſanctimoniæ in præcelſis cogitationibus Filiorum DEI.

II.

Vana ſanctitatis ſublimitas in ſolis præcelſis cogitationibus ac deſideriis.

III.

Sublimitas Sanctimoniæ ab eximiis operibus.

IV.

Excellentia ſanctimoniæ in ordinariis & communibus, non ordinariè nec communiter obeũdis.

V.

Excellentia & ſublimitas ſanctimoniæ ab exacta obſervatione & cura minimorum.

VI.

Rarioris ſanctimoniæ eſt, eniti ut viuat ſine defectu ac nævo, & quidem cum quadam impotentia peccandi.

VII.

Excellentia ſanctimoniæ in heroicis actionibus & victoriis ſui ipſius.

VIII.

Sublimitas ſanctimoniæ à ſublimitate Intenti-

onis in quibusvis actionibus.

IX.

Non vulgarem sanctimoniam in perfecto passionum Dominio consistere.

X.

Excellentia Sanctimoniæ ab omnigeno virtutum ornatu.

XI.

Sublimitas Sanctimoniæ à possessione gradus supremi in quacunq; virtute.

XII.

Non vulgaris, id est, docta non rudis Sanctimonia: seu, Excellentia Sanctimoniæ à conjunctione cum doctrina.

XIII.

Excellentia Sanctimoniæ ab umbra seu occulto operandi modo.

XIV.

Sublimis & excellens Sanctimonia quæ multum laboriosa.

XV.

Sublimitas Sanctimoniæ, totius mundi omniumq; terrenorum: atq; linguarum etiam ac respectuum quorumvis contemptrix.

PARS

PARS TERTIA.

Peculiares virtutes Religiosas ad altiorem nec vulgarem gradum provectas exhibens.

I.

Non vulgaris animarum Zelus, virtutum sublimiori Sanctimoniæ militantium prodromus & antesignanus.

II.

Paupertas, Castitas, Obedientia, non vulgaris, sublimioris Sanctimoniæ non impares Triarii.

III.

Patientia Religiosa non vulgaris, Sublimioris Sanctimoniæ individuus comes & assecla.

IV.

Humilitatis Religiosæ, profundissimi utiquè, non vulgaris Sanctimoniæ fundamenti sublimitas,

V.

Resignatio sui ac indifferentia, sublimioris sanctimoniæ manuductrix absq; errore, dexterrima ac felicissima, eaq; non vulgaris.

VI.

Mortificatio interna & externa sublimioris sanctimoniæ vigilantissimi custodes ac propugnatores, iiq; non vulgares nec ignobiles.

VII.

Oratio Sublimioris Sanctimoniæ nutrix ac

conservatrix, non vulgari cultu & pretio exhibita.

VIII.

Amor DEI omnium virtutum ac sublimioris Sanctimoniæ Rex & Corona.



PROFASIS

Ad homines potiſsimùm religioſos, tum quoſcunq; virtutis non vulgaris ſtudioſos.

Obſecro vos ut dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis. *ad Epheſ: 4.*



QUâ olim adhortatione Divus gentium Apoſtolus, ad ſuos Epheſios uſus eſt, eâdem ego quoque Vos inprimis Religioſæ quæcunq; animæ, ac memetipſum in præſens alloquor ac deinceps allocuturus ſum: Ut inquam dignè ambulemus vocatione, qua vocati ſumus. Non hìc quidem Diviniſſimus Paulus vocationis Religioſæ homines, non votis ſpecialibus, ad DEI obſequium initiatos, non ſtrictioris obſervantiæ religioſos affatus eſt: Sed primævos non niſi Chriſtianos, eoſquè nullo voto Religioſo ad ſpeciale Numinis ſervitium obſtrictos, ſeculares. En, videte tamen, cujuſnam illos virtutis ac Sanctimoniæ commonuerit? Obſecro

vos, inquit, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis. Ac si dixisset: minimè vos, ô mei Ephesii, minimè ô novellæ plantæ Christi, cuperem esse cujuscunque probitatis & sanctimoniæ commendatione conspicuos. Illud satagite, eò erigite animos, curas ac vires intendite, ut eximia non vulgaria, digna vocatione vestrâ, vitâ & moribus exhibeatis exempla. Nihili hîc æstimate illa Ethnicorum vestrorum Philosophorum tota antiquitate celebratissima virtutum vel quasi virtutum specimina in quibus plus fuerat de fumo quàm de luce, plus de vanitate ac inani larva, quàm de genuina substantia virtutis. Altiùs vobis omnino, quos divinius vocationis ad veram fidem lumen circumfulsit, enitendum est, altiùs collimandum. Quodsi verò idem DEI Apostolus, non suos Ephesios, eosque recens à gentilium ritu ad Christum conversos, sed adultos iam Christianos nosq; Religiosos alloqueretur: quàm, oro, à nobis vitæ ac morum sanctitatem exigeret? certè non qualemcunq; illam, non popularem aliquam, sed longè eximiam, longè sublimem, cæloque ipsi conterminam ac planè dignam vocatione etiam nostrâ religiosa. Et sanè si tanti vocationem ad fidem æstimavit ille,

ut

ut non dubitaverit, vulgari aliqua probitate & legis divinæ obſervantiâ minimè fore contentam; quanti vocatio ad religionem, ſtatum utiq; ad perfectionem tendentem æſtimanda eſſet? quantùm in ſtudio excellentiſſimæ virtutis longè præferenda? Jllud igitur ab hinc mihi agendum erit: ut Vobis ac mihimet ipſi, non vulgarem, non plebeiam, (ut aiunt) ſed per omnia excellentem ac ſublimem ſanctimoniam perſvadeam, ac velut in Olympum quendam ſanctitatis vos deducam. Agite ſic & pergite unà mecum, idq; è voto cujuſcunq; Religionis, è voto ipſius, ex cujus mente Diviniſſimus peroravt Apoſtolus, Chriſti, Eccleſiæ, è voto totius Curiæ Cæleſtis, è voto tandem Sanctiſſimæ Triadis, cujus Supremo honori & gloriæ hic noſter, quem ordimur conatus ſacer eſto.

ADHORTATIO PRÆLIMINARIS UNICA.

Ad non vulgarem ſanctitatem, nulla re magis, quàm magnô & non abjectô animô opus eſſe.



Rerum magnarum initia terrent.

AGgredimur non exigui momenti negotiũ, quia circa non vulgarem, non plebeiam, ſed ſublimem cæloque conterminam, dignam vocatione noſtrâ ſanctitatem. Verùm quibûs id faſtigii capeſſendum impendiis? præſertim cùm ipſa inexpertos non raró terreat rei magnitudo ac ſublimitas: ita ut etiam pæne in deſperationem puſillanimes adigat: innata rerum magnarum ac ſublimium viciſſitudine: quæ dum nos in admirationem rapiunt, ſimul ſpem ſui comprehendendi eripiunt. Et id quidem ipſum nobis etiam in ſublimioris ſanctimoniæ apicem eluctantibus forſitan contingeret, niſi trepidæ puſillanimitati occurreretur in limine. Jllud ego ad hanc retundendam noſq; in propoſito egregio firmandos

dos in præſens affero ac liberrimè enuntio. Non multis videlicet circa ſublimem Sanctimoniam nobis laborandum: Uno hîc præcipuè eoq́; magnô & non abjectô animô opus eſſe.

Et certè nihil egregium, nihil ſablime unquam geſſit, quisquis ſua mediocritate contentus, humili & abjecto genio ſemper fuit. Ad magna & ſublimia agenda, non tam magnis impenſis, non tam robuſtis viribus, quàm animo opus eſt: qui ſi defuerit nulla amplius media ſuperſunt. Animus eſt qui magna efficit, aggreditur ſublimia, exequitur admiranda, difficillima & maximè ardua ſuperat ac triumphat, ita ut ſi omnia deficiant animus tamen omnia vincat. Quotquot heroas antiquitas recenſuit, magis animo quàm viribus triumpharunt. Impar erat Hercules robore, ſingulis etiam monſtris cum quibus pugnaverat edomandis, ſed quia major animo; ideò triumphalis eorum domitor evaſit. Impar cum ſuo exercitu Alexander Dario: ſed quia ſub ſignis non tam commilitones, quàm grandes ſpiritus & animos computabat, ideò illum aggredi auſus eſt, & fundere, orbem in illo vincens, cùm majorem orbe animum circumferret. Non numero illos Leonidas, Coclites, Scævolas, & innumeros

Animus rerum omnium victor.

alios, contra densa hostium agmina solo animo decertantes. Non memoro heroem Polonum Visniovscium, cujus olim magnanimum cor ex dissecto martiali pectore extractum, inter se barbari Turcæ partiti, inter sua absumpserunt obsonia, rati, ex absumpto eodem corde heroicos se hausturos spiritus, & ausus, qui sibi ad omnem satis victoriam essent.

Missis profanis, sacram evolvo historiam, unde facile constabit, quantos ibi in Abraham quinq; Regum Chananæorum victore; quantos in Josue, in Gedeone, Jonata, quantos in Machabæis, & pluribus aliis, triumphos egit animus. Ut non omittam Davidem qui adhuc puer corpore, quia tamen Gygas animo, turrim illam carneam ita aggressus est, ut unico ictu & eam ipsam & hostilem simul prostraverit superbiam, iacentem Israelitici nominis gloriam triumphaliter erexerit, & capite Goliæ, simul & probrô exercitûs sublatô. Ideoq; non frustra illi de quibus 1 Machab: 10. *Non alium belli ducem quam animum habere voluerunt.*

Animus rerum magnarum & sublimium actor:

Hinc etiam advertite, quibusnam Salomonem auxiliis, ad tot & tanta pro sua gloria, Regniq; prosperitate patranda Deus instruxe-

ſtruxerit? *Dedit* (inquit Scriptura) *Deus Salomoni latitudinem cordis quaſi arenam quæ eſt in littore maris.* Sed cur potiùs non ad inſtar magnanimi vg: leonis aut Aquilæ, cor illi contulerit? Regum utiq; hæc ſunt Symbola. Niſi fortè quod leoni, etſi cor utcunq; magnanimum, ita ut iuxta Salomonem ad nullius paveat occurſum ut pote fortiſſimus beſtiarum, pleriſq; tamen nimis puſillanime & pavidum, ita ut etiam igne & fumo terreatur. *Timet* (inquit Leo Papa) *circumactos rotarum orbes, plauſtri vacui ſtrepitum, gallorum cantum, ignem.* Aquila pariter, licet, aliis volucribus animoſior pueruli tamen unius aſpectu fugatur. Cor igitur magna aggreſſurum patraturumq; ſit velut arena, quæ eſt in littore maris, cujus ea ſcilicet vis eſt, ut non tantum decumanis fluctibus ac procellis reſiſtat, non tantum ampliſſimis onerariis par ſit ſuſtinendis ſiſtendiſq; anchorarum perferendis morſibus, ſed ipſum etiam indomitum maris furorem coërceat ac ſiſtat, acclamante Scriptura: *Vſq; huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Nec verò potentia, robur, vires Gyganteæ, aut Achillea arma, Salomoni cõferuntur. Nempe cor unum illudq; ſua latitudine

3. Reg. 4.

dine magnanimum ad omnia, ſatis eſſe.

Quanquam quiſnam ab imbelli & humilibus nonniſi mancipato obſequiis bove ſive vitulo quidquam ſperaret egregii? ac etiam evolare auſurum in ſublimia ſimul cum Aquilis, cogitaret? Et defacto tamen vitulus Propheticus, unus ille ex quatuor animalibus, eo ſe ſua virtute extulit, ut ſeſe leoni & homini æquans nihil minus iisdem pro gloria DEI geſſerit: imò etiam cum ipſa Aquila vulgarem ſuper terram tramitem exoſus, ſub cælum uſq; ut eò ſecum gloriam DEI efferret, conſpicuus evolarit. Nempe Cherubicus illi inerat animus, qui illum ad nihil humile, ſed imò ad pares quoq; leonibus auſus ſtimularet: Siquidem & bovi nihil ampliùs inacceſſum eſt; ſi illi ſublime cor non deſit, ita ut ipſum etiam poſt hac aratri pudeat ac plebeii laboris. Nec alius hac in parte Agnus Apocalipticus, isq; tanquam occiſus, & ecce, quia pluſquam leonino vigebat animo, ſolemniter illi acclamatum: *Vicit Leo de tribu Juda.*

Eſech: 1.

Diverſa longè hac in parte vituli Jſraelitici ſorte. Aureus ille fuerat: ſed quia abſq; animo, nihil ſimile geſſit, ſoliſq; choreis circa ſe actis inglorié celebris, in pulverem abiit, cum

Abſq; animo nihil magnum omnia extrema & abjecta.
Exod: 32.

aquis

aquis defluxit. Nec plus illi etiam ad thronum Salomonis subsistentes gessêre leones: quia & illis sola species leonina aderat, non animus. Ita scilicet hoc uno deficiente, omnia aliter succedere. 3. Reg: 10.

Scimus quonam non ignota illa Regis Babilonii devenerit statua: Pedes illi erant magna parte ferrei, venter & fæmora ex ære, caput aureum, pectus tandem argenteum, sed animo vacuum. Nihil illi ad potentiam & gloriam defuisse visum: sed quia defuit animus, ideo cùm nullo facinore inclaruisset, imò præclari quidquam ne cogitasset quidem etsi aureo fulsisset capite, ab uno inermi lapide prostrata iacuit. Dan: 2.

Neq; minus deflenda Ephraimi, qua in extremam deciderat calamitatem, conditio, ut abunde prophetica refert narratio, genuinam totius mali allegando rationem: *Ephraim* (inquit) *columba seducta non habens cor.* Parum scilicet illi erat, leonino caruisse vigore & spiritu, parùm, virum & hominem exuisse, parùm columbinos induisse metus, imò sic metu pavido in columbam degenerasse, etiam cor ipsum amisit. Osea: 4.

Quid verò Davidem tot hostium cata

fractorum celeberrimum domitorem eò redegit, ut miserè nimis, quia ad unius Bersabeæ aspectum, nudo ac tunc inermi amori, succubuerit? nimirum non aliud, quam quod ipse de se lamentabili comploratione fatetur: *Adhæsit pavimento anima mea. Cor meum dereliquit me.* Id est, quòd abjectiore animo, ille olim magnanimus heros, ad pavimentum sese hoc est terrenos sensualesque carnis appetitus demisisset. Cor illud sublime sibimet passus eripi. Triumphaturus absq; dubio, si tantum hìc animi contra Veneris pusionem, quantum contra Goliam Philistæum Gygantem, aut ursos leonesq; quos toties straverat, habuisset. Uti alibi idem de se ipso: *Viam* inquit *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ita certè, ut nulli tentationum insultus adversus eum prævaluerint.

Pusillanimitas ardua efficit.

Et sane habent hoc magna & ardua, imò etiam mediocria non modicum, ut eo ipso evadant difficilia dum talia abjecto animo finguntur, & ultra se tumeant dum timentur: ita ut etiam formica aut lepusculus in leonem grandescat, si se timeri sentiat. Uti planè illi contigit, qui in Proverbiis imbellissimè querulatur. *Leo est foris in medio platearũ occidẽdus sum.*

ſum. Cùm è contra leones in formicas aut lepores degenerent, ſi in erectos ſpiritus incidant. Sicut defacto Samſoni, leo ſævus alioquin & rugiens degeneravit in hædum, ubi in illum magno animo Samſon irruit. *Dilaceravit* (inquit Scriptura) *Leonem tanquam hædum.* Sic quoq; & Davidi urſi leonesq; in agnos verſi: ita ut illi cum iiſdem non pugna ſed ludus eſſet. *Cum Leonibus* (refert Eccleſiaſticus) *luſit quaſi cum agnis, & in urſis ſimiliter fecit.* Nec aliter omnino meticuloſis ſibiq; uſq; ad locuſtas metu ignavo decreſcentibus exploratoribus terræ Chanaan, illius regionis accolæ in monſtroſos de ſtirpe Enac crevêre Gygantes, *quibus* (inquiunt) *comparati quaſi locuſtæ videbamur*, cum tamen animoſioribus inter quos Calebus fuerat, nihil ſimile nihilq; ſupra vulgarem ſtaturam & conditionem habuiſſe viderentur. Quid verò celebris illa turris Babel, illud orbis prodigium, illud prorſus humanæ induſtriæ ac viribus vix poſſibile facinus? quia tamen magnis animis inceptum, ideò ſuis ædificatoribus ad inſtar ludicri operis fuit Solus videlicet mihi credite imbellis animus, ubi ardua non invenit, facit: atq; etiam unius pili magnitudinem ex umbra illius metitur

Judic: 14.

Magnitudo animi maxima ac difficillima extenuat atq; facilitat.

Numer: 13.

tur ac æſtimat: ut hîc defacto fidem mereatur, quòd Stoicus de pleriſq; *Non quia* (inquit) *difficilia ſunt, non audemus; ſed quia non audemus difficilia ſunt.*

Id ipſum circa Sanctimoniæ aſſecutionem locum habet.

Quòd cùm ita ſit, hoc ipſum igitur nobis etiam, non humilem religioſa mente agitantibus Sanctimoniam agendum eſt, ut non viles abhinc aſſumamus ſpiritus humi repentes hactenus ſurſum erigamus animos, pares nos & capaces non vulgaris Sanctimoniæ ſentiamus aliquando? Quodſi nobis cor noſtrum puſillanimitate emarcuit, induamus patrum & heroum noſtrorum ſublimes auſus, ſimusq; etiam ipſi inter exempla & heroas. Neq; nos ulla difficultatum monſtra ab incepto deterreant: hæc enim vel tunc maximè ſuperantur dum non timentur: audeamus modo: & illico omnia infra nos erunt, ipſiſq; noſtris auſibus Numina non deerunt propitia. Jllud quòd Alexander Macedo animo verſemus: *Nihil tam altè* (inquit) *natura conſtituit, quò virtus non poſſit eniti?* Enuntiavit de quopiam Pſaltes: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Et hoc planè eſt quod à nobis quoq; Supremum exoptat Numen, ut ſcilicet per noſtræ vitæ morumq; Sanctimoniam, non mediocrem ſui nominis

Curtius

obtineat

obtineat exaltationem & gloriam. Id verò haud difficulter futurum, modò ex pusillanimitatis nostræ profundo assurgentes, ad altitudinem cordis & spiritus accedamus.

Hoc nempe modo magnô utiq; animô Patres nostri qui jam absoluti sui stadii retulêre præmium, ad eam, cujus nobis reliquêre vestigia, evasêre sanctitatem, hoc modo tam magna & multa in orbe terrarũ gessêre, ac orbem ipsum orthodoxæ subegêre fidei: hoc modo amplissima gloriæ DEI toto mundo protulêre incrementa, hoc modo tot difficilia, tot adversa & ardua triumphârunt: his in tantum profecere auxiliis. Audentissimi Indiarum Apostoli effatum est: *Si quid*(inquit)*magnas habere videtur difficultates, cave propterea ab incepto deterreant. Prima quippe ac potentissima difficultas in nobis est.* Sic locutus, sic egit Indiarum Apostolus. Cur igitur nobis quoq; eam tenere praxim, paribûs uti ausibûs non expediat? Cur non libeat tot prodromos sequi? quid dedeceat tam insignes heroas æmulari?

S. Xav: Lib: 2. Epis: 5.

PARS PRIMA

MOTIVA & INVITA-MENTA

Ad non plebeiam & non vulgarem

SANCTIMONIAM

Proponens.

ADHORTATIO I.

Vocationem Religiosam, non vulgarem a nobis Sanctitatem exigere. MOTIVUM I.



QUamvis currentibus calcar, volantibus alas addere, supervacaneum sit: satis tamen superq; nuper egimus, ut nobis ad sublimiorem sanctimoniam animos adderemus. Vidimus etiam, quanto sicut ad majora omnia, ita ad eam Sanctitatem opus animo sit? Jam quæ nos ad illam efficaciùs urgent & provocant? attentiùs videamus. Vocatio inprimis religiosa est, quæ nobis eam obligationem indicit, necessitatem imponit, curam & studium injungit, ut non vulgarem, sed dignam eadem vocatione Sanctimoniã totis viribûs amplectamur. Hanc ego igitur, svadendam in præsens suscipio idq; non ex alio interim respectu & motivo, quàm ex vi & motivo ejusdem vocationis religiosæ.

Quanti sit vocatio religiosa, quantumve excedat vocationem sæcularium, nemo est qui non advertat. Si quis utriusq; conditionem accuratiùs expendere velit, facilè mensuram illius

lius vel inde colliget, quantum vita religiosa vitam & statum superat sæcularem. Nimirum non minus quàm præcelsa rupes super subjectum quo circum quaq; alluitur mare; Olympus super minores circumpositos colles; cælum super quæcunq; sublunaria ac terrena; aurum super alia metalla eminet ac æstimatur. Præsertim cùm ille status censeatur sublimior qui Christo conformior. Quo igitur excellentior religiosa vocatio, eo excellentiorem Sanctimoniam sibi vendicat. Procul hinc vulgaris virtus, procul plebeiæ Sanctimoniæ abjecta cura & studium. Nihil hìc humile, nihil mediocre, omnia summa, omnia eximia cogitanda. Ita ut plane velut in frontispicio cujuscunq; Religionis ac etiam religiosæ domus illud inscriptum esse censeatur; quod Plato suæ Scholæ inscribi curaverat: *Huc nihil vulgare ingreditur.*

Id verò *Luc.* 6. satis clarè expressum legimus: Ubi Christus, postquam diutius in præalto monte sanctioribus discipulos suos, & ex iis ibidem delectos duodecim Apostolos instituisset sermonibus: tandem *descendens de eodem monte stetit in loco campestri & turba Discipulorum, & multitudo copiosa plebis.* Unde palàm est, Apostolis ac selectioribus discipu-

scipu-

ſcipulis montes, turbæ & plebi plana & campeſtria delecta. Quid verò hac in parte myſterii? Divus Ambroſius hunc locum expendens in hæc verba ait: *Adverte omnia diligenter quomodo & cum Apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas?* Ubi hujus ipſius rationem ſubnectit. *Quomodo enim turba niſi in humili Chriſtum videret? non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia.* Ac ſi diceret: Apoſtolorum ac Diſcipulorum Chriſti eſt, humilibus non eſſe contentos, altiora petere, ſcandere ſublimia: turbæ plana ac mediocria ſufficiunt. Nec illi tantopere vitio verti, quod ſublimiùs non aſcendat, quod ad excelſa Chriſtum non ſequatur. Et ita planè de ſæcularibus ac religioſæ vocationis hominibus cenſendum eſt. Jllis ſcilicet quamcunq; ſanctitatem ſufficere, ſublimiorem ab illis non requiri, niſi ſanctè generoſo atq; glorioſo plurimum auſu, ſponte ferantur in eandem. Jam iſtos è contra quidquid humile eſt, imò quidquid etiam mediocre nimium dedecere: ita ut cum ipſomet Chriſto montem altiſſimæ perfectionis illos conſcendere, conſiſtere in ſummo, apicem & faſtigium apprehendere, neceſſe ſit. Non aliter quam ut olim Caſſiodorus cuidam à ſe ad faſces apud Regem

Theodoricum promoto: *Culpæ est te non agere quod summum est.*

Plane hìc Sponsi insistendū vestigio: de quo
Cant: 5. Sponsa: *Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Tales scilicet Sponsi pedes, non ferro, non æri, non argento, sed soli auro, id est sublimi & excellenti præ aliis omnibus insistentes metallo. Nec diversi sunto pedes hominis religiosi. Figant alii vestigia sive in plano, sive in declivi, figant supra lateritium pavimentum, supra marmor, hoc est supra cujuscunq; mediocritatem virtutis: Jam religiosus homo attollat se supra bases non qualescunq; sed aureas. Nihil scilicet in ratione Sanctimoniæ aut vile & vulgare, aut mediocre sapiat.

Hujus verò ipsius non leve ultra documentum esto, duplex illa Moysis & Aaronis Virga; Thaumaturga quidem utraq; fuit: illa tamen sæcularis, hæc religiosæ vocationis hominum insigne Symbolum. Et sanè sat inprimis celebris omniq; fama per orbem vulgata, virga Moysis fuerat. Visebat Regum Ægyptiorum augustalia, castigabat Ægyptum, terrebat Pharaonem, omnibus elementis, terræ, aquis, mari, aeri, imperabat, tot editis collucebat, ac prædi-

prædicabatur ubiq; prodigiis: inter hæc tamen id felicitatis non habuit, ut vel modicè in florem reviresceret, ut vel uno saltem virenti ramo seu folio quod ex se progigneret ad ornamentum tegeretur. Nec interea etiam eo in crysim prolapsa, quod non semel in draconem & colubrum deformata, quod serpentibus, draconibus pasta sit. *Devoravitque* (inquit Scriptura) *virgas eorum quæ versæ erant in dracones.* Jam Aaronis virgæ alia omnino hac in parte conditio. Insolitum an probrum illi ante omnia fuerat, non colubros sed muscas etiam & culices deglutire. Parum similibus cum Virga Moysis coruscare miraculis. Florere etiam, in folia diffundi, turgere gemmis, in fructus maturescere debuit. Et quidem supra naturam, supra communem rerum ordinem, usq; ad prodigium. Et huic quidem ipsi, dum adhuc inter sylvas, profanaq; arbusta promiscue cresceret, satis fuerat qualicunq; folio indui: nec eam eguisse fructu. Verùm cùm admovetur Sanctuario: plura longè ab illa requiri. Nempe ut non tantùm quoscunq; flores & folia sed etiam fructus non obvios, eosq; prodigiose pariat. Nec tandem etiam ultra licuit eam profanis servire usibus, vel manibus attingi, *Numer: 17.*

 fulci-

fulcire gressus, evagari quocunq; terram vel sutum premere. Ad arcam ipsam: hoc est, illud veteris testamenti Sacrarium delata est, & inter tabulas legis divinæ tanquam aliquod Sacrosanctum reposita. Idq; non obscuro vocationis religiosæ hominibus relicto exemplo, quonam modo intra suæ religiositatis sphæram versari debeant? Nempe longe illos sæcularibus, quos virga Moysis denotabat, debere esse vitâ & moribus dissimiles, ideoq; vulgari sanctitate minimè contentos. Ita ut cum in illis hoc est vitæ sæcularis sectatoribus vix crysim mereatur, quod graviora delicta velut colubros & viperas prompte ac sine nausea & scrupulo degluttiant: jam hîc pæne crimen sit, etiam levia quædam ad instar muscarum & culicum admittere. Illis si in quamcunq; sanctitatem evirescant, omnino sufficiat, hic autem non quoscunq; sed multum eximios virtutum fructus progignere, perquam oporteat. Nec jam ultra ut pote Sanctuario religiosæ vocationis receptos, ac divino initiatos obsequio ad quidquam profani sese demittere, tractare sæcularia, attrectare terrena, intra mundana versari, præterquam solo nonnisi sanctitatis contineri sacrario liceat.

Vestes olim eorum, quorũ ignaviam aut scelera

tege-

tegebant, verberabantur. At quonam ipsimet religiosi homines verbere digni essent, si vestem religiosam stragula utiq; virtutis suâ pudefacerent ignavia, nec dignam eodem vestitu & statu religioso sumerent Sanctimoniam.

Quanquam & à quatuor illis currui gloriæ DEI adjunctis animalibus, quorum apud Eschielem celebris exstat mẽtio, non modicum nostræ veritatis accedit argumentum. Sex alas illis concessas in Scriptura legimus. Verum quid bovi, quid leoni, quid homini cum alis? imò quid etiam aquilæ cum tot alarum impendio? si bos est, si leo, si homo? binos vel quaternos pedes, quibus super terram gressus efforment, satis illis esse. Si Aquila? duas alas nec plures, ut quocunq; evolet, illi sufficere. Nisi quod hæc animalia non usui cuicunq; non cuicunq; currui profano vg: etiam Salomonico, sed currui sacro, currui divino deputata iunctaq; fuerint: ac proinde tot alis instrui debuerint ad volandum. Altiùs nempe quam vulgari super terram vel aerem tramite, erat illis abhinc eluctandum. Alias dum adhuc intra nativam sortem & sphæram viverent: & homini, & leoni, & bovi; quamcunq; tenere semitam, Aquilæ quocunq; loco nidum stru- *Eschielis* 1.

D3 ere

ære licuerat. At verò postquam se è communi consortio & animantium grege extulêre, postquam propria domo, caula, antro, nidoq; relictis, divino sese addixêre currui & obsequio, tot alis iisdem fuisse opus, ut supra vulgarem conditionem, supra solem & lunam, ac cælum ipsum, usq; ad thronum DEI evolarent. *In circuitu throni* (inquit in sua Apocalipsi Joannes) *quatuor animalia.* Atq; in hoc sanè ipso perspicuum nostræ vocationis religiosæ Symbolum, qua nobis ex mundana sorte & contubernio ereptis, ac divino mancipatis servitio, non aliud convenit quam ut ultra terram imò & sydera vulgaribus non contenti vestigiis, eximia sanctitate evolemus. Antequam nos mundo efferremus, sacroq; subderemus iugo, licebat quocunq; calle progredi, postquam nos currui gloriæ DEI adjunximus, jam ultra humi repere non licet.

Hic defacto locum habet mulier illa Chananæa pro filia à dæmone excruciata Christum Salvatorem exorans: *A finibus suis* (inquit Evangelium,) *egressa clamavit. Miserere mei Domine Fili David.* Verum unde didicit mulier Ethnica sic Christum vocare, tantaq; de eo sentire? Respondet S. Hieronymus Lib: 2.

Comm:

Comm: in caput: 15. Matth: *Inde novit vocare filium David, quia egressa iam fuerat definibus suis & errorem Tyriorum ac Sydoniorum, loci ac fidei commutatione dimiserat.* Etsi in ea tantum effecit loci mutatio. Quid in nobis egressio nostri è mundi finibus ex promiscua sæculi turba valitura est, ut altiora cogitemus, loquamur, sentiamus. Idq; planè fuit primum Divi Romualdi (uti in vita ipsius legimus;) post egressum è mundo, accessum ad servitium DEI studium: *quo se ad Marinum vita sanctitate celebrem contulit, ut ad arctam & sublimem perfectionis viam eò magistro ac duce uteretur.*

Libeat hic tritas illas Religionis comparationes retexere, sive cum speciosis pomariis, sive cum Libano, aliisq; cælo propinquis montibus, sive cum præcelsis turribus ac ædificiis, sive cum terra promissionis ac tandem cælo etiam ipso. Unde facilè constet, quidnam à nobis Sanctimoniæ vocatio Religiosa exigat? Quæ enim inprimis arbor illa esset regio digna pomario? quæ sylvestria nonnisi folia & poma, aut nescio quod vile fructuum genus pareret. Quod decus Libano si pusillis tantum, & vix à terra prominentibus virescerct arbustis. Quid gloriæ imò quid non opprobrii ac ludibrii es-

ſet pigmæo, ſi prææalto monti, aut turri excelſæ inſidens, inde ſibi plauſum poſceret. Quid proportionis etiam ſi Rhodio coloſſo ſtatua inſiſteret palmaris vel cubitalis ſaltem. Quid commendationis terræ Iſraelitis promiſſæ? ſi nihil ſpeciale ſupra Ægypti ubertatem habuiſſet. Tandem quid ſi etiam cælo, pro primæ vel ſecundæ magnitudinis ſyderibus, minores accenderentur lychni, faculæ & igniculi. Si itaq; regale pomarium eſt? non gramine ſolo aut vulgaribus herbis turgeat & creſcat ſed rarioribus quibuſq; emineat arboribus, non obviis fructibus æſtimetur. Si Libanus? Cedris vel Palmis aſſurgat. Si Turris ſi Coloſus Rhodius, vel Traiani Adrianiq; moles? non palmaribus ſe faſtigiis vel ſtatuis ſed cælo pæne minantibus attollat & nubibus inferat. Si terra promiſſionis? nihil ſimile cum Ægypto habeat. Si Cælum? ſoles, Lunas, Joves, Saturnos, primæ, ſecundæ, tertiæ magnitudinis planetas eoſq; vel terrâ longè majores vel non minores ſaltem contineat. Et hoc ipſum ſummus rerum omnium artifex, dum mundi initia ex nihilo poneret ſervavit providentiſſimè, ita totius univerſi cæli ac terræ attemperando ſymmetriã, ut ſibi invicem omnia aptiſſimè congruerent. Nec alia

nobis

nobis in vita spirituali ac religiosa tenenda ratio. Id est, si nobis religio cælum est? Soles Planetasq; alios virutis splendore imitemur, nec infans diluculum sed adultam perfectionis exhibeamus meridiem. Si Terra promissionis, in quam de sæculi Ægypto deducti sumus? non minores uvas sed prægrandes usq; ad admirationem progignamus virtutum botros, illis non absimiles, quorum unum in vecte duo viri ex exploratoribus terræ vix portarunt. Si cæleste Regis Regum pomarium? dignæ eo loco ac statione in sublimem Sanctimoniam excrescamus arbores, dignosq; vocatione nostra proferamus fructus. Idq; ne illud ipsum nobis pro crysi appingatur, quòd de quapiam apud Pôëtam arbore: *Miraturq; (inquit) suas frondes & non sua poma.* Si Libanus? Cedros proceritate sanctitatis æmulemur. Si mons alius vel Turis? neq; nos Pigmæi, sed Gygantes simus, eoq; nos conspicua religiositate attollamus ac meritis donec sublimi sidera vertice feriamus, cæloq; ipsi virtutibus coronatum inferamus caput.

ADHORTATIO II.

MOTIVUM II. *Vocatio ad Societatem JESV, quidquid in Sanctitatis studio vulgare est, a nobis proscribit.*

SAnctimoniam non vulgarem ex vi & motivo vocationis Religiosæ nuper suasimus. Sed quia non unum est, quod nos ejusdem sanctitatis admonet; ideo hæc ipsa in medium proferre, est animus. Post vocationem Religiosam in genere, vocatio ad Societatem, locum ante alia omnia sibi vendicat. Jlla scilicet est, quæ dum nos nihil humile, nihil vulgare aggredi, imò cogitare etiam, sinit: solam nobis per omnia sublimem Sanctimoniam in meta statuit. Quò ut nostra quoq; collimet dictio, mei in præsens studii & conatûs erit.

Sicut habet hoc sortis propriæ & conditionis æstimatio, ut nos ad magna quæq; & eximia excitet: ita è contra illud est, quod nos à sublimibus deturbat ausibus, ac in extremam præcipitat inertiam: Nempe ipsa sortis & Nominis originisq́ nostræ alta oblivio. Ideoq; non parum excitamenti ad omnem virtutem Spartanis illud ipsum adferebat, quod se Spartanos esse,

se, Spartâ oriundos, Spartana matre & urbe prognatos meminissent: ex eoq; illud profluxisse. *Lacænam viros parere.* Hinc si nobis etiam, id esset, quod defacto deberet, Cunarum nostrarum, hoc est vocationis ad Societatem pretium ac recordatio, id nobis pæne unicum ad insignes ausus satis esset.

Liceat hujus ipsius ex funda Davidis petere fundamentum. Congressurus ille cum Golia, *elegit sibi quinq; limpidissimos lapides de torrente: quorum unum lapidem tulit, eumq; funda iaciens percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus.* Eximium sanè in hoc Davidico lapide excelsi genii *symbolum*: qui non pedes, ut lapis ille propheticus, non fæmur, non pectus, sed ipsam frontem & caput ferit. Dicitur ille ab Auctoribus Nomen Josue seu Nomen JESU sibi inscriptum prætulisse. Nec mirum eò illum collimâsse. Dum adhuc intra congeriem aliorum versaretur lapidum, antequam in peram, inde in fundam sumeretur, antequam eo scriberetur nomine, poterat se ad quæcunq; usum & scopum demittere. Postquam id sortis & nominis nactus est; non alia meta illum decuit. Et verò in nobis etiam ad Societatem JESU vocatis, ea deberet esse ani-

1. Reg: 17.

mi excelſitas. Si non eo inſigniremur nomine, ſi non ea vocatione gauderemus, utcunq; veniam mereremur, nosmet ad vulgaria demittendo. Verùm poſtquam ad eam ſortem & Nominis JESU conſortium admiſſi ſumus; jam nobis non ad humilem metam omnino collimandum. Uti ſanctiſſimus ille noſter Generalis Carafa in ſuis exhortationibus ad noſtros dicere ſolitus: *Serpere non debet humi noſtra perfectio.* (In vita Ipſius) ſi enim eo nomine inſigniti ſumus de cujus præſtantia & celſitudine Apoſtolus : *Dedit illi nomen ſuper omne nomen.* Si idem ipſum nomen oleo effuſo in Scriptura aſſimilatum: *Oleum* (inquit) *effuſum nomen tuum*: quod certè cunctis ſupernatat & ſupereminet liquoribus. Quomodo eidem ipſi nomini ſimilis in nobis non reſpondeat virtutis excelſitas ſuper omnem ſæcularium hominum virtutem & gloriam ſeſe efferens?

Placeat verò hic ex Arena Davidis præſiari, in agrum cum Joſepho ſomniante deſcendere. Sic ille ſuum fratribus ſomnium retulit: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare: veſtroſq; manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Ubi illico juſta ſe inprimis admirationis

aperit

aperit occasio: Nempe quidnam fuerit, quòd aliis manipulis in sua sorte & statura relictis, hic unus Josephi manipulus ultra illos alios assurrexerit, creverit? scio equidem hac visione futuram Josephi in Ægypto, qua supra reliquos omnes, ac fratres etiam suos natu majores, eminere debuit, adumbratam fortunam. Sed neq; mihi illud ignotum, eundem Josephum, in eo ipso fuisse typum & figuram Christi. Hinc nomen Salvatoris, hoc est Nomen JESU sortitum: *Vertitq; id est Pharao,* (inquit Scriptura) *Nomen ejus & vocavit eum lingua Ægyptiacâ, Salvatorem mundi.* Neq; hic amplius miror manipulum Josephi sic crevisse. Ex quo enim eo nomine meruit insigniri, totaq; proclamari Ægypto, certè illius messem vulgarem esse haud decuit: *Putabam* (inquit) *quasi consurgere manipulum meum, &c.* Atq; hinc etiam nostræ applaudendum fortunæ, qua in Societatem recepti, nomine JESU consignati sumus. Simul tamen diligenter animadvertendum: non levem per hoc ipsum, nobis impositam necessitatem, ut eidem vocationi & nomini, nequaquam vulgari respondeamus Sanctimoniâ, ac locupletè admodum meritorum excellentium messe: & sicut differentiùs præ

cæteris cum Christo nomen hæreditavimus, ita etiam si non ultra cæteros, qui nos velut fratres natu minimos (sic enim Societatem S. Pater noster vocari voluit) venerando in Ecclesia DEI longè præcessere uti senio, ita & meritis, saltem cum illis ultra quoscunq; alios sublimitate (si id ipsum dicere fas est) emineamus virtutis. Idq; ne præclaro nomine tantùm insignes esse videamur, aut magni nominis umbræ, Neve tam sanctum ac gloriosum nomen in nobis mentiri faciamus.

Videamus enim cui nomen Divinum in Scriptura inditum? *Et est* (inquit) *nomen meum in illo.* Certè non cuiquam alteri sed Angelo, imò Archangelo Michäéli. *Ecce ego* (inquit DEUS ibidem Exod: 23.) *Mittam Angelum meum, qui præcedat te.* Hoc autem non de alio, quàm de Michäéle populi Israelitici ad terram promissionis ductore, intelligendum. Utiq; Michäél interpretatur. Quis ut DEUS? Certè namq; quicunq; divino, vel JESU insignitur nomine, aut Angelus aut Archangelus omnino sit, id est Angelicâ imò Archangelicâ Sanctimoniâ effulgeat.

Sic illa Apocal: 14. Cum Agno cælesti scilicet Christo: *Supra Montem Sion stantia*

centum

centum quadraginta quatuor millia habentia nomen ejus scriptum in frontibus suis. Et ecce quid ultra de illis Apocalipticus textus? *Hi sequuntur* (inquit) *Agnū quocunq; ierit:* Sequuntur inquam excellenti imitatione & insignibus meritis: ita ut throno etiam ac lateri divino per illimem Sanctimoniam meruerint admoveri: *sine macula enim sunt ante thronum Dei:* Ut vel hinc pateat: quanta ab omnibus eo nomine insignitis requiratur virtutis excellentia & sublimitas. Idq; ne aut mores, aut nomen mutare cogantur.

Si in Abrahamum adauctum nonnisi duabus ex divino nomine (ut pleriq; deducunt) sumptis literis: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham,* ea devoluta obligatio, ut ibidem illi dictum sit: *Ambula coram me & esto perfectus.* Ad quam certè, nos non degeneres societatis obligamur alumni, Sanctimoniæ perfectionem qui non unam & alteram Nominis JESU literam, sed totum integerrimum nomen quasi ex asse possedimus.

Planè in illa celebri mulieris Apocalipticæ visione, tum Societatem JESU, tum ejus filios, ad vivum esse expressos censeo: *Apparuit*

ruit illa amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, in
Apoc. 12. *capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Ubi quis non miretur, tam non vulgare, tam extraordinarium illius ornamentum? Alios ſcilicet in ſplendore virtutis & gloriæ, ſoli nonniſi aſſimilatos legimus. *Fulgebunt juſti ſicut ſol.* Alios Stellis: *Fulgebunt ſicut ſtellæ.* Alios lunæ tantùm: *Sicut luna plena in diebus ſuis.* Hic iſta omnia ſimul in hujus unius mulieris, quo ſupra omnes alios emineret, ornatum & ſplendorem abjêre. Et quia non dum ſatis illi erat, ſupra lunam, ſolem, & ſtellas conſtitiſſe: adhuc illi inſuper, ut evolaret ſublimiùs, *Datæ ſunt alæ duæ, idq́ alæ aquilæ magnæ.* Nec verò aut dejectioris animi, aut deterioris conditionis & ſortis, ejus ſoboles: *Peperit* (inquit) *filium maſculum & raptus eſt ad DEUM, & ad thronum ejus.* En qualis Mater quali filio digna? Nempe cui nihil humile, nihil pateret mediocre, ſed quidquid eſſe poteſt maximè eximium, ſublime, ipſiq; DEI throno affine. Atq; hic non diſſimilem ſocietatem cogitate: eò ſcilicet tot DEI dignationibus, donis ac privilegiis in ſe congeſtis ſublimatam, quò nec ipſe ſol, luna & ſtellæ aſcenderint: tot ſimul ſplendoribus virtutis, doctrinæ, talentorum, per ſolem, lunam, & ſtel-

las

las designatis, indutam, quot in pluribus aliis invenias: ut quæ cæteros, divisa sparsaq; per singulos, beatos efficiunt, (sæculares quoscunq; loquor) Societas intra unam se collecta teneat. Unde facilè sit concludere, quos ea tam splendida mater filios exigat, nimirum à se nequaquam degeneres, hoc est omnium sublimium capaces, ac throno etiam supremæ Sanctitatis & gloriæ non impares.

Non aliter quàm dum Christus in Cruce Matri suæ Sanctissimæ Joannem in filium traderet: *Ecce* (inquit) *filius tuus.* Sed qualis hic tantæ matris filius? unde illi tanta excellentia tanta dignitas? Respondet Petrus Damiani, hæc verba Christi habuisse quandam vim Sacrificam, similem illi quâ verba consecrationis pollent: ita ut sicut vi verborum illorum panis in Corpus, vinum in Sanguinem transit: Ita etiam hîc, Joannes vi horum verborum verus ac genuinus Matris Beatissimæ, tantaq; matre dignissimus omnino filius effectus sit. Nec frustra ac sine mysterio Christum, postquam dixisset: *Ecce filius tuus,* illico addidisse: *Ecce mater tua:* Nimirum eo ipso præmonuisse Joannem, ut secum expendens, quàm & quan- Joann: 19

tam protunc matrem nanciſceretur, facilè concluderet, qualem ſe ejus filium exhibere deberet? Ac ſi Chriſtus Joanni hiſce innuiſſet: *Ecce:* id eſt vide, accuratiùs fixiuſq; in eam intende, quænã ſit & quanta hæc Mater Tua? Nempe eadem quæ mea, ut hinc maturè diſpicias, qualem & te deceat eſſe ejus filium, ſcilicet à me nequaquam degenerem. Quod ſi verò hæc de Joanne non abſurdè cogitata: quis prohibeat, ſimile quid de matre noſtra ſocietate ejuſq; filiis ratiocinari? Et ſanè an non illud etiam, dum ad Societatem vocaremur, reciperemurq; in eandem, illi nobiſq; intimatum eſt: *Ecce filius tuus: Ecce mater tua.* Quidni igitur dignitatem & excellentiam ejus Matris apprehendamus vivaciùs? quidni æſtimemus, communem nobis cum Xaverio, Borgia, Stanislao, Aloyſio, & mille aliis inſigni Sanctimoniâ celeberrimis Societatis heroibus, matrem eſſe? Quidni nos ipſos veros genuinos, non degeneres, dignos ea matre ſentiamus filios, nec vulgaribus probemus actis? identidem nobis cum quopiam inculcando: Ad majora natus ſum: ad majora vocatus ſum? Aut certè nos cum Joanne filios exhibeamus tonitrui, naturam imi-

tando fulminum, quæ dum altissima feriunt, humiles metas dedignantur. Ut illud scilicet de nobis Societati præstemus solatium, quale olim Lacæna mater, ex suimet filii indole retulit: cùm eximia quæq; ab illo in prælio gesta audiens: ac inter cætera mortem fortiter obitam, toties exultabunda ad singula repeteret: *Erat verò* (inquiebat) *meus*. Alioquin si nihil dignum vocatione nostra, nihil dignum hac matre gesserimus: verendum nobis, ne illud probri incurramus, quod degener alterius matris Spartanæ filius; quem illa trãsfugam è prælio pariter inaudiens, illud prolocuta: *sanè meus non erat*. Tandemq; domum ingloriè reducem protrudens, exprobransq; inertiam, indignabundè affata est: *I Spartâ & me indignus*. Ne inquam & nos, simile quid à sancto Patre nostro audire mereamur, I Societate & me indignus.

Plutarch: in apoph: Lacon:

ADHORTATIO III.

Obsequium & cura salutis animarum, Societati ex fine vocationis ac Instituti præfixo, aliis quibuscunq; ex quocunq; titulo, motivo, præscri-

MOTIVUM III.

pto, incumbens, nihil vulgare in ratione San-ctimoniæ requirit.

NOn temerè ſublimiorem Sanctimoniam ſvadendam ſuſcepimus. Cum id ipſum, uti vidimus, ſvadeat inprimis vocatio quæcūq; Religioſa, ſvadeat quoq; nobis peculiariter ſocietatis hominibus ad eandem Societatem Vocatio, ipſumq; nomen quod gerimus, quove ad eximia quæq; ſtimulamur. At verò quid eſt, quod quemcunq; etiam ejus Sanctitatis non admonet? Non admonet inquam, non tantùm cujuſcunq; ſtrictioris Ordinis Religioſos, ſed ipſius etiam ſtatûs ſecularis homines, ut infra ſæpiùs viſuri ſumus. Quod autem ad homines ſocietatis? quidquid religioſi ipſius Inſtituti, quidquid Regularum, quidquid Ordinationum ac quorumcunq; monitorum, nec non exercitiorum ſpiritualium eſt, an non eo collimant omnia? ut nos ad non vulgarem provehant Sanctimoniam. Excutiamus totam, quanta, quanta eſt ſocietatas, nihil in ea reperiemus, quod nos qualicunque Sanctitate contentos eſſe ſinat. Finis ipſe Societatis: nempe obſequium & cura ſalutis alienæ, quid oro à nobis Sanctimoniæ non exigit? Quam curam & ſtudium o-

mnigenæ virtutis non exposcit? Verùm quoniam idem ipsum circa animarum salutem ministerium cum aliis quoq; licet ex diversis titulis nobis commune est, proinde hic in præsens, quoscunq; etiam huic ministerio deditos concernens, nostræ allocutionis tenor esto: Curam & obsequium salutis animarum nihil à nobis in ratione Sanctimoniæ vulgare ac mediocre requirere.

Quàm sit latèpatens eorum campus, qui se ministerio præfato addicunt, ac proinde quanta etiam ipsius finis societatis, quem S. P. Ignatius nostris præfixit ausibus, amplitudo, facile quisq; conjiciet, si advertet: non unum hic terræ angulum, unum districtum, & Regionem, Regnum aut imperium, sed orbem totum curæ nostræ & obsequio commissum, nostris studiis ac laboribus excolendum, nostris rigandum sudoribus, nostro etiam sanguine fæcundandum; ita ut illi vitam nosq; totos impendere, illius salutem vix non cum nostræ quoq; salutis impendio, quærere incumbat. Jam quid eo ministerio sublimius quid curâ salutis animarum excellentius quæ nobis tum cum Angelis, tum cum Apostolis, tum cum ipsomet

Christo communis est? Quid igitur tanto operi, tantoq; fini cum vulgari Sanctimonia, quid cum mediocri virtutis studio? Mihi credite tanti istud esse momenti negotium, tanti moliminis opus, ut frustra se ad illud accingat, quisquis sese parum virtute instructum sentit ac judicat.

Audiamus, quidnam huic eidem se negotio committenti cuipiam, DEUS per Prophetam injungat? *Super montem* (inquit) *excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion*. Non hic in valle, in planitie jubetur consistere, non in quemuis montem conscendere; sed in montem omnino excelsum, in ipsum ejus fastigium eluctari, hoc est (juxta Ambrosium & Bernardum apud Cornelium) *in virtutum montem, in culmen ac sublime perfectionis*, sese attollere. Quid verò hac in parte arcani? Nempe illi cura Evangelii, cura salutis animarum demandanda: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion*. Et defacto, quisnam verbum DEI prædicaturus intra turbam se recipiat, intra plebem & tumultum sese misceat, infra, deorsumq; lateat, & non in exedram ascendat aut non sublimiore aliquo loco consistat, omnibusq;

Isai: 40.

bufq;

busq; se conspicuum, omnibus visendum exhibeat? Cùm expresse in locum prædictum D. Gregorius Papa: *Vt qui* (inquit) *cælesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoq; faciliùs subditos ad meliora protrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.* Idem D. Basilius orat: 6. *Qui labentem erigere vult, debet omnino longè altior esse illo qui cecidit.* Ita-ut hic etiam illud aptè conveniat: *Plus debere esse virium in latore quàm in onere:* plus ideòq; sanctitatis debere inveniri in illis, qui onus alienæ salutis velut quidam Atlantes sustinent, quàm in quibuscunq; aliis, circa quorum salutem & animas laboratur. *Aristot: 1. Polit: c. 1.*

Neq; alio pertinet, quod de Divis Apostolis Ambrosius enuntiat. Intendit inprimis ille fixiùs oculum in Petrum, super fluctus ambulantem, eumq; Moysi Israëlitici populi, thaumaturgo Ductori, jam non super mare, sed per imum ac fundum ipsius incedenti, comparat. Tum hisce ad extremum concludit: *Moyses,* (inquit,) *in imo, Apostoli in summo.* Ac si dixisset: Duces ac Principes populi politicos, & si imum virtutis cum Moyse infra mare gradiente

diente teneant, tolerari utcunq;. Verùm Apostolicos viros summum, ipsumq; Sanctitatis fastigium obtinere omnino necesse est.

2. Cor: 12. Et hoc ipsum est, quod S. Paulus ad tertium usq; cælum assumptus sit: idq; non post exantlatos tot labores Apostolicos, peragratas Provincias, innumeras ærumnas ac passiones toleratas, tot edita Sanctitatis documenta, sed ad prima suæ conversionis initia; tunc cùm adhuc in Apostolico munere Tiro censeretur. Nimirum eo usq;, hoc est ad tertium cælum, debebat provehi qui aliorum erat procuraturus salutem, ut eos cælo lucraretur, ac inferret. Ideoq; etiam non quodcunq; vas, sed *vas electionis*, id est vas non vulgaris, sed selectissimæ Sanctimoniæ & gratiarum donorumq; DEI capax, denominatus: quia scilicet nomen JESU coram gentibus erat portaturus: *Vas* (inquit) *electionis erit mihi iste ut portet nomen meum coram gentibus*. Quis verò etiam nobile aliquod magnisq; usibus destinatum vas viliore & ignobiliore loco reponeret? Quid autem curâ salutis animarum nobilius, ideoq; quid insigni dignius Sanctimoniâ.

Joann: 21. Non dissimili hac in parte Principis Aposto-

Apoſtolorum ſorte; cui etiam antequam Chriſtus paſcendas oves ſuas, curamq; ſalutis earum commiſiſſet, priùs trinam ab eo de amore sui, confeſſionem elicuit, ac tandem ſubintulit: *Paſce oves meas*. Nempe non qualicunq; DEI charitate ad hoc illi miniſterium fuiſſe opus, ſed omnino perfectâ omnibus numeris abſolutâ, trino videlicet eoq; perfecto numero ſignificatâ. Joan: 21.

Abſit hic illud quod ſuæ Sponſæ inſuſurrat Salomon: *Si ignoras te o pulcherrima*: (apud Cornelium à Lap: legitur) *ſi ignota tibi nec perſpecta tua conditio: egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Abſit inquam ut viri Apoſtolici poſt veſtigia ſuorum gregum quos verbo ſalutis paſcunt, ignavo paſſu abeant, & non ſelectioris virtutis tramitem teneant, iiq; velut ſuæ conditionis & obligationis ignari & immemores. Cant:

Hinc illud eſt, quod omnibus univerſim Apoſtolis à Chriſto in cælum aſcenſuro fuit inculcatum: *ſedete* (inquit) *in Civitate quoadusq; induamini virtute ex alto*. Ac ſi dixiſſet: nolite, vel pedem etiam, extra limen proferre, tanto magis in vicos plateas, urbes, oppida, re- Luc: 24.

gna, dissemìnandi gratiâ Evangelii excurrere; nisi prius non quacunq; virtute, sed virtute ex alto, virtute admodum sublimi, virtute à cælo ipso petitâ, cælo conterminâ induamini. Induamini inquam: quia parum est, virtutis, ut ita dicam, frustum vel laciniam sibimet assuere, parum etiam umbratili ejus specie vel pallio utcunq; involvi: ipsa integerrima virtute, velut ampliore toga, circumquaq; indui convenit ac oportet.

Nec miror, in utero etiam ipso, extraordinario plane modo, ultra communem praxim, Prophetam Sanctificatum: *In utero* (inquit) *Sanctificavi te.* Audite enim quidnam immediatè sequatur? *Prophetam in gentibus dedi te.* Et certè non vulgare illi aliquid debebatur, non ordinaria Sanctificatione decuit esse decorandum, cui negotium salutis gentium erat committendum.

Quanquam non humanam sed Angelicam etiam hic Sanctitatem DEUS videtur requirere, apud Prophetam inquiens: *Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam, ad populum terribilem.* Hoc autem ipso viros Apostolicos eo loci significatos admone-

Isai. 18.

Major humanâ nempe Angelica Sãctitas requiritur.

ri; nihil illos terrenum, nigil humile atq; humanum etiam, debere, vitâ moribusq; præferre, sed imò ipsos Angelos æmulari: ex quo ad eam legationem deputari meruêre.

Quod ipsum in illa Jacob Patriarchæ visione satis exhibitum: cùm vidisset per somnium *scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cælum, Angelos quoq; ascendentes & descendentes per eam.* Neq; hic aliud, juxta plerosq; per hos Angelos, quàm precones Evangelii, & quoscunq; alios curam salutis animarum gerentes: per scalam autem seriem virtutum ac perfectionis intelligi. Ut inde colligere liceat, qualisnam his ipsis DEI preconibus, Sanctimoniæ conveniat sublimitas: non alia videlicet quàm Angelica, id est quæ ea virtutum serie tot Sanctitatis gradibus, constet, queis à terra ad Cælum usq; pertingat. Gen: 28.

Parum verò id etiam esse, plus adhuc longe ab alienæ salutis curatoribus requiri. Circumspicite hic apparatum Pontificium Aaronis. De hoc inprimis Sap: 18. *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Sed quid vesti illi tam Sacræ cum profanis, cum mundo, cum terra? in qua nihil nisi cæleste Imo penè divina.

comparere debuisset. Plures apud Cornelium à Lap: hanc vestem, aiunt fuisse Symbolum obligationis Sacerdotalis, qua unusquisq; non unius anguli, sed totius mundi ejusq; salutis curam, gerere tenetur. Hinc idem Sacerdos in pectore nomina filiorum Israel portare jussus. Verùm ubi tanto muneri conveniens Sanctimonia? Inspicite iterum unà mecum caput & frontem, inspicite tyaram summi Sacerdotis: *Facies laminam de auro purissimo in qua sculpes sanctum Domino, eritq; super tyaram imminens fronti Pontificis.* Sunt qui legunt: *sanctum Domini.* En igitur quale hic sanctum? non plebeium, non aliud quàm Dominicum, quam Divinum. Nimirum hoc ipso præmonitum veteris testamenti, salutis humanæ baiulum, Sacerdotem, qualis ab eo exigeretur Sanctitas, cujus sanctitatis illum meminisse oporteret? non alius videlicet quàm admodum sublimis supra frontem & caput defixæ, omnium oculis conspicuæ, ac planè divinæ. *Erit* (inquit) *Sanctum Domino fronti imminens* Ita ut quicunq; orbis terrarum saluti suam vitam addixerint, non quacunq; non plebeiâ non de feria ut aiunt, sed Dominicâ sed divina pæne Sanctimonia

Exod: 28.

nia

niâ collucere teneantur.

Non aliter quam educturo Israelem Moysi de Ægypto ipsa quædā divinitas collata est: *Constitui te Deum Pharaonis*: Ac illis etiam, eidem Israeli ex eadem Ægypto prodromis dieq; ac nocte prælucentibus columnis divinum quid affuisse attestatur Scriptura imò DEUM ipsum: *Dominus* (inquit) *in columna nubis & in columna ignis*. Ut vel hinc pateat, quantum ii qui ex Ægyptiaca peccati vel infidelitatis servitute alios educturi sunt, DEO, esse debeant eximiâ sanctitate & vita similiores quam hominibus. Unde etiam Christus ipse, Apostolos ad prædicandum mundo Evangelium missurus, *insufflavit in eos*: ut nimirum non alio spiritu, quam Spiritu Christi Spiritu divino viverent spirarentq;.

Exod: 7.

Exod: 13.

Ut verò missa alia faciamus; illud bene novimus, quanta sit in hoc campo boni exempli necessitas, quanta vis quanta efficacia, ita ut illo ad conversionem & salutem hominum nihil potentius nihil efficacius cogitari posse videatur. Magna fateor & pænè Thaumaturga linguæ vis est. Sat utiq; constat, quantum hæc sive in profanis, sive in sacris usibus semper va-

Ratio boni exempli non vulgarem sanctitatem exigit.

 luerit

luerit valeatq;. Interim tamèn si opera, si exempla desint; certè invalidi sunt ac inanes omnes linguæ verborumq; conatus. Unde autem oro tam efficacia tam robusta operum exemplorumq; auxilia? si non ab ipsa virorum Apostolicorum Sanctimoniâ, quæ quo major quo sublimior, eo pro salute hominum ad flectendos eorundem animos validior.

Non frustra eos, *qui erudiunt multos, ad justitiam*, Stellis assimilatos legimus: quæ utiq; ut sublunaribus efficaciùs prosint, non aliunde, quàm ab ipso sole lucem orbi illustrando effundendisq; in eum suis influentiis parem capiunt. Imò Christus ipse suos Apostolos, *Lucem mundi*, id est, solem in Evangelio appellat iuxta illud Scripturæ: *Fulgebunt justi sicut sol.* Quo enim ille se altiùs in meridiem attollit eo clariùs, eo liberaliùs, eo ardentiùs illustrat omnia, eo in terrena agit efficaciùs. Hinc quoq; ut idem in alios etiam Planetas sui luminis dispensaret beneficium, ut illud copiosiùs in orbem diffunderet, ut non illiberales, in sublunaria derivaret influentias, non infimo cæli loco defigi non vulgari & ipse lumine locupletari debuit. Atq; eadem est Curatorum

Daniel: 12.

salutis

salutis alienæ conditio; ita, ut tunc nonnisi non parum verbis & exemplis in animis hominum ad virtutem provehendis valeant ac proficiant, cùm non modica & ipsi nec humili Sanctimoniâ abundant.

Intelligant ii nubibus se non absimiles attestante Propheta: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Et has utiq; ni copiosis & ipsæ turgeant humoribus, haud quidquam sterilibus glebis fæcunditatis ac emolumenti allaturas. Ut non omittam illam Eliæ nubeculam: *Ecce* (inquit) *nubecula ascendebat de mari: & facta est pluvia grandis.* Non de modico utiq; lacu, sed de ipso mari, illam hausisse humores quos in terram sitientem effunderet: tuncq; defacto copiosum magno terræ emolumento profudisse imbrem cùm se supra terram & mare propiùs cælo attolleret: non levi viris Apostolicis ad sublimiorem Sanctimoniam relicto illicio: tunc illos scilicet saluti animarum non parum profuturos, cùm à terra terrenisq; avulsi non humili nec modicâ verùm veluti ex mari haustâ sanctitate ad cælum usq; sese provexerint.

Isai: 60.

3. Reg: 18.

Intelligant etiam, cum illa celebri arbore Apocaliptica commune aliquid sibimet debere

Apocal: 22.

bere esse. *Ex utraq; (inquit) parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, folia ligni ad sanitatem gentium.* Nimirum illorum etiam folia, id est verba, prædicationes, ac voces, tunc in sanitatem gentium evasuras, cùm & ipsi fluvio copiosæ Sanctimoniæ alluentur, fructibus excellentium virtutum ac meritorum onusti. Intelligant, frustra esse omnia talenta, omnes præstantissimas dotes curas laboresq; omnes, si sublimioris amplioris q; virtutis laborent inopiâ. Intelligant, eximiæ sanctitati, adeo Thaumaturgam vim inesse, ut illa obstinatissimos animos expugnet, durissima pectora emolliat, effrenatissimas mentes còerceat, efferatissimam cicuret barbariem. Hac Apostoli totum mundum Evangelicæ mancipavêre veritati. Hac tot Religionum Apostolici viri Divinã in immensum propagârunt gloriã Hac nostræ etiam societatis Heròés, Indos, Japones, Brasilos, & innumeros alios in agnitionem veri adduxêre Numinis: hac hæreticorum infregêre pertinaciam, peccatoribus resipiscentiam persvasêre, orbi toti ac Ecclesiæ inter hostiles hæresum laboranti insultus attulêre salutem ac subsidium. Ita, ut hîc etiam meritò locum habeat

beat id, quod Propheta de quopiam innuit: *Sanitas* inquit *in pennis ejus*. In pennis nempe zeli Apostolici, quibus ille in sublimem enititur Sanctimoniam, sanitas tot animarum, sanitas tot regnorum, sanitas orthodoxæ Ecclesiæ, sanitas totius mundi.

Quod cùm ita sit: proinde, si quid in nobis etiam, hoc in puncto inertiæ; si quid dejectioris animi; excutiamus quamprimum, nosq; ad sublimioris Sanctimoniæ studium accingamus. Idq; nè abhinc vocationi ac cuicunq; obligationi nostræ, nè DEI cælitumq; tum etiam tot populorum exspectationi, nè tot animarum saluti ex parte nostra deesse videamur.

ADHORTATIO IV.

Spectator mundus, censorq; Religiosi potissimum nominis acerrimus, non vulgaris à nobis sanctimoniæ exactor est.

MOTIVUM IV.

HActenus nobis non vulgarem Sanctitatem religiosa suasit vocatio, suasere alia, ac etiam obsequium & Cura Salutis animarum. Jam ejusdem sanctimoniæ, mundus etiam ipse sua-

sor est. Ea scilicet illius natura ac ingenium; quod sicut eadem flagitia, quæ in se admittere consuevit, gravius ferat plectatq; in aliis: in suis sceleribus palpandis obstinatissimus, in alienis sive censurandis, sive puniendis acerrimus. Ita etiam quam in se ipso negligit aspernaturq; probitatem, in aliis eandem perlibenter habeat, ac severiùs exigat. Utamur igitur hodie nos quoque eodem ad nostrum propositum suasore: Illudq; perspectum habeamus: quod sicut idem mundus nostri spectator est Lynceus, censorq; Religiosi nominis, potissimùm gravissimus, ita non vulgaris à nobis Sanctimoniæ severissimus exactor.

Status Religiosus censuris mundi ob noxius.

Ea est illorum conditio quos natura, fortuna, superi sublimiùs posuêre: ut passim in censores incurrant oculos, suorumq; omnium facinorum, mundum pœnè totum lynceum habeant spectatorem: ita ut non tantum in minimos eorum nævos defectusq; accuratiùs advertat, sed plus etiam ab iis quàm ab aliis virtutis exigat.

Et quia religioso statui vix par alia in mundo sublimitas: hinc illud est, quod is etiam omnium pœnè ora atq; oculos in se habeat conversos.

versos. Si de Principibus illud protulit Stoicus: *Vitam illorum perpetuam censuram esse*: Certè id de religiosæ vocationis hominibus longè veriùs. Ita ut vix sol ipse tot habeat spectatores censoresq; quot unusquisq; vitæ religiosæ inquilinus. Planè unicuiq; idem hîc, quod soli contingit; cui à quopiam inscriptum: *Spectatur cùm deficit*. Neq; tot forsitan deficiente luna pulsati æris tinnitus olim auditi fuere, quot hic obloquentium voces, quot calumniæ quot censuræ, ita ut postquam in publicis, privatisq; consessibus in mores vitamq; religiosorum hominum sese exeruerint, tot simul æra tot tintinnabula, dicas cùm Satyrico pulsari. Si olim ad oram vestis Sacerdotalis *singula mala punica singulis mista erant tintinnabulis*; certè vel unicum idemq; minimum ex omnibus malum à religioso admissum mille linguas sonantesq; buccas, ceu tintinnabula habet sibi annexa, quæ ad levissimum motum & gestum reddantur vocalia. Non frustra in eadem veste Sacerdotali, teste scriptura, erat totus orbis terrarum, acu vel quocunq; alio modo depictus effictusq; eo hac in parte fortassis mysterio; quo pateat, cuilibet sacratiori personæ orbem

Exod. 28.

poene totum præſto ad latus adeſſe, ut ſingulos ejus actus motusq; obſervet: ita, ut ſicubi, hîc omnino fidem illud inveniat: *Quòd omnis Ulyſſes ſuum à tergo Homerum habeat, errores ipſius non quidem itinerum ſed vitæ in codicillos adnotantem.* *Bartolus.*

Mundus Societatis Cenſor acerrimus.

Si quis tamen ſtatus, ſi quæ religio mundo ſpectatori cenſoriq; obnoxia, profecto noſtra, ac ſi ſub infauſto quopiam ſidere nata Societas: ita ut quidquid oculorum quidquid linguarum quidquid cryſium in orbe eſt, hoc totum in eam jurato odio congeri videatur. Ac ſi defacto (ut olim depravatis Romæ temporibus) *permiſſa* eſſet ceu publico jure promulgatoq; edicto, *deterrimo cuiq; licentia, impune probra & invidiam* in Societatem ejusq; perſonas *excitandi*: Atq; eo uſq; mundi in eam cenſoria procedat ſeveritas, ut in illa non tantum minimos etiam obſervet nævos eosq; in immenſum exaggeret, ac velut in Commentarios referat: Sed quidquid etiam in ratione virtutis, quomodocunq; vulgare aut mediocre foret, nequaquam diſſimulet, nequaquam patiatur, omnia ſumma omnia ſublimia exigat.

Planè

Planè hic quoad omnes etiam religiosas imò quascunq; spitituales personas locum habet, quod universim enuntiat Apostolus: *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* En quot hic spectatores, ad quorum nos desideria complacentias & gustus effingere debeamus. Quid verò illi à nobis religiosis deposcunt? Nec dubium Angelos exigere angelica, exigere cælestia. Verum quis crederet, mundum etiam & homines, nihil mundanum humanumq;, sed omnia ultra mundana; omnia Sancta omnia Angelis similia requirere. Et ita quidem ut vulgaria etiam ac mediocria in iis respuere atq; proscribere videantur. Inde est quòd S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ verba Apostoli prædicta eo sensu legat: *Theatrum facti sumus.* Nempe Theatro quo Comediæ vel Tragædiæ exhibentur, debere nos esse non absimiles. Quanta enim ibi in exhibitoribus actoribusq; inprimis, quanta inquam cura, quanta sollicitudo, quanta præparamenta, quot impensæ? idq; non solùm, nè quidquam contingat erronei, indecori confusi, sed etiam ut omnia ornatissima, exquisita compositissima, in voce, pronuntiatione, actione, gestu, ac in omni

1. Cor. 4.

Durus etiam exquisitæ virtutis à quibusvis Religiosis & spiritualibus personis exactor.

quoq; oris, oculorum, manuum, pedumq; ipsorum atq; totius corporis motu, in gradu supremo compareant. Jam in spectatore, quanta horum omnium expectatio, quam arrecti vultus, oculi, aures, cum quilibet eo se conferat, ut aliquid egregium, non vulgare, non obvium, audiat, videat, ediscat. Ita ut si è contra, tantillum eveniat minus exacti, minus ordinati, minus venusti, non satis eximii, illico pleno sequantur agmine expeditæ cryses, sinistra judicia, molestum murmur, fastidia, sugillationes, depretiatio non levis: Nec verò alia mundi in nostras religiosas actiones arrecti intentiq; facies. *Theatrum* nempe *facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Hinc quanta ille expectatione tenetur, quanto inardescit desiderio, ut omnia à nobis defecatissima nihil defectuosum, omnia summa, nihil vulgare percipiat; tantâ nobis elaborandum curâ ac industriâ, ut nihil tale ejus exhibeamus oculis & auribus, quod nostra vocatione indignum, sua existimatione inferius merito censere possit; ut in hoc vitæ nostræ theatro unusquisq; nostrum velut Roscius in Scena compareat.

Et in hanc profecto Scenam partemq; spectaculi in oculis Israëlitarum Moyses venerat. Sed videamus quonam, hoc in theatro successu? Redibat ille de monte Sinai à consortio sermonis Domini: & ecce *Filii Israël videbant faciem ejus cornutam.* Abulensis & alii asserunt, fuisse non cornua, sed promicantes è capite Moysis binos splendentes radios. Cur igitur illis non radii sed cornua visa? nimirum non totam Moysis faciem, non totum undiq; caput, splendore cælesti, nec toto etiam adulto sole fuisse circumfusum, unus omnino & alter radius hinc inde promicabat. En igitur hæc ipsa censorio forsitan displicuêre oculo, nec tam pro evidenti divinioris indicio sanctitatis, quàm pro cornibus pro monstro Affricano vel aliquo è Sylvestri faunorum grege reputata. Is videlicet est censoris mundi genius, nihil nisi magnum nihil nisi notabile à servis Dei expectare atq; exigere: ita ut si quid sua opinione minus aut mediocre illis obveniat, proq; solari *v. g.* verticem circumfundente Sphæra, aliquis minor radiolus sese acuminet, jam hoc ipsum sinistrè interpretari, magis magisq; attenuare, nescio quo detorquere consueverit. Atq; idem Exod. 34.

nobi-

nobiscum etiam contingere solenne est. Si enim in nobis, non dico vitiosum, ac vituperabile, sed vel mediocre aliquid & obvium suspiciat; jam id ipsum severiore examinat judicio, nec pro sanctitatis vel doctrinæ specimine, sed pro insigni defectu dedecore & probro reputat, omnia de nobis præsumendo majora.

Patuit ea veritas longè expressius in illa Regis Babilonici Statua, quam abscissus lapis
Dan. 2. demolitus est. Aurea illa & argentea, magnâ eaq; principali parte fuerat. Parum tamen adhuc id lapidi, ipsi alioquin ignobili ac inculto visum. Parum: *quia caput erat aureum pectusq; argenteum*, tanto magis quòd *venter, & fæmora tantùm ex ære*, pedes quoq; ex ferro nonnisi, partim ex luto. Atq; ideo fortassis in tam pretiosæ Statuæ ruinam sese præceps proripuit. Idq; quod non tota aurea aut argentea, non tota ex summo pretio conflata, sed quod aliquid etiam de mediocris pretii metallo, aliquid de luto habuerit. Ita nec aurum in illa argentumq;, æstimatum: postquam lutum, deteriusq; metallum in minore licèt quantitate inventum esset. Atq; eadem omnino mundi Critici tot alioquin suis notati pravitatibus

tibus nobiscum ratio, quod scilicet ille, omnia de nobis præsumendo æstimatissima: Si aliquid defectuosi, aliquid lutei, imò etiam aliquid minus æstimabilis, ceu inferioris metalli comperiat, illico omnes cryses depromat, omnes diras in nos moveat, linguas concitet, in ruinam nostri nominis & famæ juratus Annibal.

Melior forsitan illius lilii conditio cui Sponsus Sponsam assimilare dignatus: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*: En spinæ erant, nec nocuêre lilio, nè pupugêre quidem. Nempe hîc etiam lilium fuerat, lilium omni ex parte candidum, longèq; pulcherrimum lilium sinè macula, sinè nævo: deniq; illud non ex hortensi plebe, sed Rex florum. Decebat tantam pulchritudinem ac decorem, tantam sublimitatem dignitatemq; ea inter spinas reverentia. Nec aliud nobis quoq; adversùs mundi cryses effugium. An non enim nos etiam, tot spinæ circumstant, quot infensi mordacesq; Zoili, qui in minimos nostros actus intentissimi, si quid in nobis vel maculosi vel plebeii advertant, illico acriter pungunt, undiq; carpunt, famam nomenq; lacerant, animos

Cant: 2. *Adversus mundi censuras unicum remedium sublimis Sanctitas*

 cruen-

cruentant, exprobrando id ipsum ac vitio vertendo quod simus sicut cæteri, quod nihil supra alios habeamus agamusq;. Quid igitur ad hæc remedii? nisi ut lilia simus, tam defectus næviq; vel minimi expertia ac ignara, quàm etiam sublimiate & excellentia sanctitatis præ aliis conspicua, planeq; ceu *florum lilia Reges*: simus inquam, ut simpliciter dicam non plebeii servi DEI, sed eodem servitio ac virtute Principes Regesq. Ità ut etiam illud Julii Cæsaris edictum ad amussim impleamus: *meos tam suspicione quám crimine carere oportet.*

Esech: 1. & Apocal: 4 Sic defacto illa quatuor currui Gloriæ DEI mancipata animalia, de quibus illud prodigiosum recensetur, quòd fuerint: *plena oculis antè & retro*: verùm suisne an alienis? si suismet propriis? non dubium quod nec alieni illis defuere oculi, idq; si non plures, certè non pauciores omnino. Scimus enim abunde, quàm totus pœnè mundus in eos qui se DEI gloriæ dedicavêre promovendæ in eorumq; omnes actiones ac gestus vigiles circumferat oculos, ita ut iisdem antè & retro pleni esse videantur. Sed simul novimus etiam quod hîc vice versa, hæc eadem animalia censoribus mundi ocu-

di oculis, ad omnem partem circumſpectos objecêre oculos. Quid dico oculos: imò teſtimonio Sacrorum interpretum, tot inſignia lumina, virtutumq́; ſplendores, quibus circumquaq́; ad prodigium collucebant. Idq́; ſat efficaci exemplo, quanam arte ac induſtriâ adversùs obtrectatores ac Zoilos noſtri nominis procedendum? utì defacto viſus proceſſiſſe Plato (de quo Anton: Serm: de contumelia) cui cùm quidam retuliſſet, repertos nonnullos qui ipſum convitiis & maledictis inſectarentur: reſpondit: *At ego ita mores componam, ut illis fides nulla habeatur.*

Hos ego interim Zoilos ranis illis Ægyptiacis, de quibus Moyſes ad Pharaonem, cenſeo eſſe non diſſimiles: *Et ebulliet* (inquit) *fluvius ranas, quæ aſcendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſervorum tuorum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum*: En quæ harum ranarum importunitas, ita ut nihil ipſis invium fuerit, nihil inaceſſum, nihil tale quod illis non patuerit, quod ſua garrulitate non impleverint. Sola illis ea fuere intacta, quæ notabilius excelſa, quæ *Exod: 8.*

ſublimius ſita. Ideo non dicuntur aſcendiſſe præcelſas turres, ſumma ædificiorum tecta, ſublimes ſpeculas, ſed nonniſi ingreſſæ domos cubicula, furnos, ſtrata, menſas. Ranarum ſcilicet eſſe valles paludesq; incolere, domunculas ſerviles locis declivibus ſtructas ingredi, illisque adrependo obſtrepere. Sed ſublimia illis vacua, ac immunia. Certè enim quis crederet ranam æmulo niſu cum ſublimi aquila poſſe volatu contendere? aut in Cedris nidificare vel turribus? Nec alia obtrectatorum Zoilorumq; malignitas. Horum ſcilicet quoq; plena eſſe omnia. Non ab illis libera Regum auguſtalia, non privatorum domos, imò nec etiam religioſorum clauſtra, menſas, cibos, cubicula. Ita tamen ut hiſce ranis illa potiſſimum non innoxie videantur inſeſſa, quæ aut vitio fœteant, aut parum virtutis ſublimitate attollantur. *Convitiorum* utiq; *reprehenſionem* (dicente Cleobulo apud Anton: & Max: Serm: de vituperio) *illos non attingere, qui ſecundùm virtutem vivunt.*

Cùm verò præ aliis, malignis ranarum talium incurſibus pateat Societas, ita ut planè nihil agat, nihil moliatur, nihil in vita, & mo-

ribus

ribus præferat egregii cui non obstrepant: Adeoq; eo usq; nos redigant ut *ubi* (loquor cum Stoico) *vitavimus culpam, non tamen sæpè, effugiamus infamiam.* Quid itaq; hac in parte consilii? unum est illudq; efficacissimum, ut non tantum eliminatis nævis omnibus, sed omni etiam virtutis mediocritate posthabita, eò nos sublimitate Sanctimoniæ collocemus, quò nulla pertingat malevolorum contumacia. Id faciamus proinde iuxtaq; gentium Apostolum ad Rom: 13: *Abiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis sicut in die honestè ambulemus.* Nec enim certè adversùs quosvis linguarum ac censurarum ictus validius ac victoriosius pugnatur quàm armis talibus lucidissimæ utiq; Sanctimoniæ ac virtutis. Nec quisquam solis etiam radiantia veretur spicula, quisquis omni virtutum honestate induitur & effulget. Audacter aquila in Solem involat, quia aquila est: Solus vespertilio & noctua seu quicunque parum honestè vestitus lucem diemq; fugit: *Magnum* namq; etiam (juxta Cassiodorum) *probitatis documentum est, ad solem appellare*: Nec verò nobis quoq; alia procedendi ratio servanda est, tum illud in-

 super

ſuper attenta cogitatione verſandum, quòd juxta Senecam: *Noſtra etiam facta dictaq; rumor excipiat; Et ideo nullis magis cavendum ſit, qualem famam habeant, quam qui qualemcunq; meruerint, magnam habituri ſunt.* Quod ſi verò hoc ipſum ut par eſt reflexa mente expenderimus; absq; dubio nihil humile, nihilq; mediocre, unquam meditabimur. Ita omnino non tantum DEO, vocationi noſtræ, nomini & famæ Religionis, ſed Cenſori etiam mundo exactoriq; ſeveriſſimo ſatisfacturi abundè.

ADHORTATIO V.

MOTIVUM V.

Ratio vitæ activæ in plerisq; Religionibus ac etiam in Societate, non vulgariter Sanctos nos eſſe exigit.

ADhuc etiam nobis hodie mundus ſublimioris nuper Sanctimoniæ ſuaſor, ſiſtit ſe in obtutus. Verùm non ille jam cenſorio ſeverus ſupercilio ſed potiùs arridente, ad omnem humanitatem compoſito, plenoq; charitum vultu; ita ut nihil niſi affectus, nihil niſi juratas amicitias polliceri, nihil niſi omnium ſinceritatum, omnis benevolentiæ, omnium gratiarum

cornu

cornucopiæ manibus præferre videatur. At verò ſicubi hîc certè timendus, vel maximè ſuſpectaq; habenda omnia, ubi ad nos ſibimet conciliandos hoſce expedit *Danaos pacem & dona ferentes*: Plena ſcilicet hìc eſſe omnia laqueorum, muſcipularum, periculorum, fraudium, quibus incauti tam facile capiuntur quàm nimis promptè mundi ſeſe conſortio & lenociniis permittunt. Quis autem crederet; vix magîs quemquam alium, quàm Religioſas & quaſcunq; Spirituales Perſonas ac potiſſimùm noſtram Societatem hiſce tantis ſive corporis ſive animæ patere periculis. Illa ſcilicet eſt, quæ dum eidem vitæ activæ, ex vi ſui inſtituti vacare, mundiq; ſaluti proſpicere tenetur, tota quanta quanta eſt, intra mundum, mundanaq; conſortia verſari, totam ſe mundo exponere, totam ex aſſe impendere cogitur. Hinc autem, quot occaſiones, ad internetionem noxiæ, quot ſalutis propriæ pericula, quot letalia ſcandala, quot ſpirituales eæq; inæſtimabiles jacturæ? quid igitur adverſum hæc ſuppetiarum atq; ſalutaris auxilii? mihi credite: nulla re magîs quàm ſublimi Sanctimoniâ hîc opus eſſe. Nec ego aliud in præſens ſuadendum affero: dum

illud affirmo: ipſam rationem vitæ in Religionibus activæ, nihil potiùs, quàm non vulgarem à nobis Sanctitatem exigere,

Minimè novum eſt, eos qui ſaluti alienæ navant operam, ſuæ non raro jacturam facere: nec pauca eſſe, ab ipſis etiam Apoſtolis ducendo initium, harum tam triſtium tragædiarum exempla. Non aliter hìc quàm piſcatoribus venatoribusq; contingere, qui piſcibus, feriſque capiendis intenti, dum laqueos ſtruunt; dum retia expandunt, dum hamos diſponunt, ſæpè iidem ipſi in caſſes incidunt, ita ut extremum etiam vitæ periculum incurrant, nec non in prædam & paſtum eorundem ipſorum piſcium ferarumque abeant. Itaq; ſicut illis non modica propterea circumſpectione, non mediocri apparatu, non levibus auxiliis opus, quibus ſe in omni tueantur diſcrimine: ita etiam eos ipſos, qui curam ſalutis alienæ ſuſcipiunt, non quacunq; Sanctimoniâ, utpote unico adversùs quæcunq; diſcrimina in vita activa præſidio, communitos eſſe neceſſe eſt.

Hoc enim Salomon illis verbis viſus eſt innuere: *Fruſtra* (inquit) *jacitur rete antè oculos pennatorum.* Nimirum venatoribus ſolenne Proverb. I.

eſſe

esse retia distendere, casses disponere, struere insidias. Quod verò animalium quæ ferarum aut volucrum illis sese objecerit, involvere? Interim ex feris, solis ut plurimum hosce laqueos patere lepusculis, solis capreis, cervis, lupis; reliquæ animantium plebi. Ex volucribus, solis perdicibus, coturnicibus merulis, passerculis etiam, aliisq; ejusdem generis: idq; iis tantum quæ sublimiore volatu spreto pennisq; remissis in terram convolant. Jam contrà sublime volantes aquilas, vigiles grues, perspicaces accipitres, frustra hæc omnia. Elephantos etiam leonesq; tum alias nobiliores feras eadem ludibrio habere. Nec alia laqueorum mundanorum conditio: & his scilicet eos illaqueari nonnisi, quorum vulgaris admodum, plebeiaq; & vix ultra terram provolans virtus est. Illos è contra eosdem impune transire ac evadere, quos pennata suplimiorq; Sanctitas sub cælum extulit.

At scimus etiam, quibusnam artibus, minores quantumvis feræ insidias eludant. Cant. 8. Inclamat Sponsa Sponsum: *Fuge dilecte mi & assimilare capreæ hinnuloq; cervorum super montes aromatum*: Et obsecutus defacto amicabiliter sese commonenti voci: Ut de illo pronun-

ciatum esset: *Ecce iste saliens in montibus transiliens colles.* Verum quid illum ad hæc ipsa compulit effugia? novimus utiq; in capiendis feris venatorum studia ac industrias: quomodo illi sylvas circumducant retibus, greges canum venaticorum immittant, magno clamore & strepitu pervagentur omnia, profundissimos excutiant recessus, nihil intactum relinquant. Felix hic hinnulus, felix caprea, si tempestivè sibi consulens, quæsito effugio, obvia transiliendo, in rupes inaccessas evadat. Atq; ad simile quid Sponsa Sponsum hortatur. Forsitan illa mille laqueos, mille pericula, mille insidias eidem structas, tot canes venaticos quot juratos hostes illi imminentes advertit: en igitur, ut in montes invios se recipiat, seriò nec serò admonet. Nec profectò alia nobis etiam mundi laqueos evadendi ratio: O quot enim nos quoq; qui vitam activam ducimus, quot inquam insidiis appetimur, quot circumdamur hostibus & velut canum venaticorum morsibus exagitamur. Quid igitur hoc in passu consilii? Per montes aromatum à plerisq; intelligi sublimitatem virtutum. In hos itaq; saliendum quàm primum; imò etiam excelsiores quicunq;

transiliendi colles: hoc est non vulgares quiq; sancti non tantum quomodocunq; æmulandi, sed qualicunq; etiam sublimitate posthabitâ, rarâ ac singulari admodum longè superandi eminentiâ virtutis. Idq; si pericula, si tela & ictus, si letales morsus, si extremum exitium effugere in animo est.

Iisq; planè passibus processisse visa celebris illa in Canticis Salomonicis anima: *Quæ est* (inquit) *ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii deliciis affluens innixa super dilectum suum.* Vitæ illa forsitan contemplativæ sese addixerat, & quasi longè à consortio hominum remota desertum incoluerat. Ex quo deinceps ad vitam activam inter homines processura: videte quonam se modo ad illam comparaverit? Quidquid scilicet esse poterat odoramentorum quidquid aromatum, hoc est, insignium virtutum, id totum in se transtulit atq; congessit. Quidquid etiam deliciarum, gratiarum ac donorum spiritualium, his omnibus affluebat abundè. Et cum neq; his satis sibi videretur suffulta auxiliis, ipsi dilecto suo nempe Christo, tam sublimi utiq; su- Cant. 8.

 stenta-

stentaculo niti voluit. Quibus verò hic præterea circumfusa comparuit luminibus? *Quæ est* (inquit) *ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra ut luna electa ut sol terribilis ut castrorum acies ordinata.* En quot hic iterum quantiq; splendores, quot velut bellici apparatus quidnam inter hæc vulgare? ita scilicet illam instructam esse decuit: ita nos quoque comparatos esse expedit, quotquot vitæ activæ ac saluti animarum daturi operam, mundanæ nosmet arenæ commisimus.

Ita omnino Deus ipse suum Prophetam constitutum esse voluit, cùm illum ad populi sui redarguenda scelera, à via prava reducendum deputaret: *Dedi te* (inquit) *in Civitatem munitam, & in columnam ferream & in murum æreum.* Præviderat etenim divina Sapientia quotnam illum manebant discrimina, quot ingruebant insultus, quot parabantur machinæ. Neq; adversùs hæc satis fuisse, quamcunq;, lateritiam scilicet ut ita dicam, vel marmoream quantumvis virtutem. Hinc eundem non qualemcunq; arcem, vel domunculam quam glires vel Pigmæi subruerent, sed Civitatem munitatam omni commeatu omni nervo,

Jerem. 1.

vo, omnibus armis ac præsidio instructam: non qualemcunq; basim quam venti agitarent frangerentq; sed columnam ferream, stabilem sublimem cælo conterminam: non qualemcunque murum, quem Remus quispiam transiliret, sed murum æreum, murum omnibus machinis parem, hoc est excellentissima ac solidissima virtute, omni ex parte constabilitum in facie mundi comparere decrevit.

Quanquam quid mirum homines non vulgari indigere Sanctimonia, quo mundi pericula evadant; cùm nec vulgarem Angelum, qui Apoc. 10. divina hominibus evangelizaret edicta mitti è cælo in terram necesse fuerit: *Vidi* (inquit) *Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube. Iris in capite ejus, facies ejus ut sol, pedes ejus tanquam columnæ ignis, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum super terram, & habebat in manu sua libellum apertum.* En qualis hîc quàm non vulgaris nec vulgariter instructus Angelus. Adeoque quodnam hic & unde periculum? ubi micabat sol ipse in facie adversùs quascunq; noctes ac tenebras, iris in capite adversùs tempestates ac turbines. Nubes pro amictu adversùs

quosvis ardores ac æstus, columnæ igneæ pro pedibus, adversùs peccati lapsus & mundi lubricum. Et si hîc & tantus tamq; omnigenus in Angelo apparatus vix ad modicum in terris hospite, quanta in homine perpetuo inter tot discrimina rerum, mundi accolâ, virtutis omnigenæ omnibusq; numeris absolutæ necessitas, atq; exigentia? sicubi, certè hîc cum Messia apud Prophetam quisq; necesse *induat pro thorace justitiam, sumat scutum inexpugnabile æquitatem:* eaq; omni parte exquisitissima ac probatissima. Ad instar illius (apud Cosmum Megarensem præfat. in Josue) Scuti Crystallini, quod quidam suo antagonistæ, soli oppositum, repercussis in eundem antagonistam radiis in duello objecit, eumq; sic ex arena pepulit, semet ab ictu defendit.

Mundus ipse utiq; mare est: quis autem tenui phaselo sese marinis securè committat fluctibus? est præliaris periculosæ plena aleæ arena: quis in hanc non satis armatus pollensq; viribus audenter prodeat? est arcta admodum innumeris constans hostibus obsidio, quisnam se illi, mediocri provisùs commeatu includi patiatur? vita etiam activa est quædam præterea adversùs efferatissimas belluas instituta Vena-

tio, est piscatio periculosissima, acerrima contra visibiles & invisibiles hostes suscepta pugna ac militia; quis illam modico apparatu ac levibus suffultus auxiliis subire audeat?

Planè hic idem recurrit, cujus olim apud Pòétam, Phàétontem currus sibi deposcentem Paternos Phæbus Pater commonuerat: Nempe quanta illum, toto illo tractu cælesti ab Oriente ad occidentem usq; terriculamenta manerent, quanta discrimina: *Per insidias* (inquit) *iter est ac monstra ferarum.* Per illos scilicet Arcitenentes Scorpios, Leones, Ursos, Hidras, minaces cornibus tauros, Hippocentauros & sexcentos alios. Quibus omnibus impune superandis, vix se ipse Phæbus, parem esse inquiebat, multò minus teneras adhuc nec adultas Phàétontis vires tot periculis suffecturas. Quodsi autem ibi super cælum inter innocuos ignes, ac sidera tantum discriminis, quid inter terrigenas, tot fraudium, tot machinationum simulationumq; architectos, quid in terra ipsa tot periculorum tot malorum, tot scelerum tot scandalorum officina: Ubi profecto verius, quocunq; te verteris: *per insidias iter est ac monstra ferarum.* Ita ut nec Zodiacus ipse

imò nec Affrica tot monſtris abundet. An non etiam hîc *Leo eſt & quidem rugiens quærens quem devoret*: dæmon inquam infernalis? an non Scorpius tot venenis & fraudibus imbutus fallax mundus? An non inſolens capricornus caro: Quid ille arcitenens venereus cupido, quid formoſa mille monſtris nocentior virago? Nec minori plerisq; amphora nocumento; ut non memorem cancros illos à religioſa vita ad ſæculum retrogrados. Quis igitur non videat non vulgari hîc certè, ſed multum eximia Sanctitate opus eſſe. Nec Phàëtontes hic, ſed ſoles virtutis probatæ ſplendore ac meridie adultos requiri, quos nullæ nebulæ extinguant, nullæ eclipſes inumbrent, nulla monſtra terreant, nulla frangant adverſa, nulli de ſtatione cælesti deturbent inſultus, nullæ proſternant machinæ, nulla ut ſolem ſagitta feriat.



AD-

ADHORTATIO VI.

Exempla Patrum uniuscujusq; Religionis domestica ad non vulgarem nos provocant Sanctimoniam. MOTIVUM VI.

HActenus à mundo censore, ejusq; in vita activa periculis, sublimioris sanctimoniæ admoniti sumus. Verùm nè illi soli nostros in sanctiore vita progressus debeamus, jam nos è mundi lubrico ad domesticum Larem, amans latere, revocat tantisper religiositas. Nempe etiam domi esse, quod nos ad eam virtutis sublimitatem, quam suademus, efficaciter exstimulet, ac impellat. Et quia in omni foro exemplis nihil potentius; ita ut Pòéta asseruerit: *Nemo suos hæc est aulæ natura potentis sed Domini mores Cæsarianus habet:* hinc nobis quoque inde calcar, inde stimulus esto. Exempla ego in præsens, eaq; cujuscunq; religiosi ac religionis domestica, quibus utiq; vis motiva specialiter inesse consuevit, produco in medium: ex iis ipsis, nostri propositi pro non vulgari Sanctimonia, non leve deducturus argumentum.

Magnam esse ac poenè Thaumaturgam exemplorum præsertim domesticorum vim, omnis retro agnovit atq; experta est antiquitas. Scimus enim inprimis, quantum non pauci his iisdem aliorum exemplis profecerint. Hinc illæ etiam ceræ Majorum, hinc fumosæ parentum imagines, hinc illi posthumi heroum cultus & apotheoses, hinc erecti iisdem colossi, erectæ statuæ, hinc celebratæ historiis eorum memoriæ: Nimirum eo hæc spectabant omnia, ut quorum habebant vultus effictos in oculis, gesta legebant in paginis, famam & gloriam ituram per sæcula ex publico eorundem cultu æstimabant, mores etiam actionesq; in se posteri effingerent. Atq; ita ex ceris non cerea sed ferro robustior nobiliorq; auro, ex fumo non obscura sed sole illustrior virtus procederet, ac supra Colossos & statuas sese erigeret sublimiùs. Huc planè spectabat Sparthanorum ille ritus ubi tres visebantur chori, juxta triplex ætatis discrimen. Primus Chorus senum illud decantantium: *Nos quondam eramus inclyti bello viri.* Secundus Juvenum occinentium: *Nos ii sumus, fac si velis periculum* Tertius puerorum in eas voces protoquentium: *Nos fortitudine plurimum*

Vis exemplorum profanorum.

Plutar. in Lacon.

mum

tuum præstabimus. Inter alios, Romanorum quoq; veterum, mos ille non illaudatus fuerat: quem postliminio restaurabant: ut scilicet inter solennes epulas celebratissima Majorum suorum gesta, & gloriosas memorias ad tibiam recantarent, destinatis ad hoc factitandum Seniorum gravissimis ut ea res non tam oblectationis, quàm institutionis speciem haberet: de quo more ejusq; fructu ita Valerius Max: *Quas Athenas, quam Scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabritii, Marcelli, Fabii.* Nec immerito Deutor: 32 Moyses: *Memento* (inquit) *dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos & dicent tibi:* Pariter quoq; Æneas suum ad virtutem instituens Ascanium quondam hisce commonuerat: *Te Pater Æneas & Avunculus excitet Hector.* Nihil efficacius ad præclarissima quæq; subeunda existimans, quam paternæ virtutis meminisse.

Et si hæc & tanta profanorum exemplorum efficacia: quid oro de Sanctioris vitæ exemplis censendum est? Illud certè de iis D. Basi- *Vis exemplorum Sacrorum.*

Basilius: *Vitæ* (inquit) *beatorum hominum literis traditæ sunt velut imagines quædam vivæ, divinæ Reipublicæ ad bonorum operum imitationem propositæ.* Non aliter quàm pictores assolent, dum ut suas depingant, alias excellentiorum pictorum pro exemplari sibimet ante oculos proponunt imagines. Aut quod Zeuxes fecerat, qui depicturus Junonem, quinq; Virgines præ aliis formâ conspicuas selegit, ut ex illis quod erat pulcherrimum in suam imaginem transferret. Hinc etiam Plutarchus convenientissimè monuit: *Sicut* (inquit) *qui se comunt, continuo specula aspiciunt: ita qui negotium feliciter & præclare gerere cupit, laudatorum virorum exempla sibi proponat.* Uti hujus etiam ipsius monuit Seneca Epist: 10. *Opus est aliquo ad quem mores nostri ipsi se erigant. Elige tibi virum, cujus tibi placuit vultus, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultum semper tibi ostende vel custodem vel exemplum.* Et hæc est planè *Sapientia antiquorum*, id est exemplorum egregiorum indagatio, quam
Ecclesi: 39. juxta Ecclesiasticum; *debet exquirere Sapiens*,

Nec:

Nec aliud mihi in præsens faciendum incumbit, ut scilicet eam in nobismet, quam non pauca alia suasêre hactenus, Sanctimoniam effingam. Et certe quot mihi illico landatissimi viri Patresq; nostri incurrunt in oculos: quorum dum ego gesta innumera eaq; præstantissima tot voluminibus, & historiis edita evolvo, illud mihi intimari sentio, quod olim Daniel fraudes sacrificulorum detegens ad Regem Babilonicum: *Animadverte cujus vestigia sint hæc?* ita ut cum eodem Rege mihimet etiam exclamandum sit: *Video vestigia virorum.* Etsi verò ibidem in pulvere à Daniele conspersso, visa quoq; fuerint vestigia, & mulierum & infantium; certe hic nihil muliebre nihil effœminatum, nihil imbelle, nihil puerile, omnia adulta, omnia heroica omnia magnis viris ac heroibus accommoda & digna, quæ illi pro DEI gloria, pro salute animarum pro fama, & nomine suæ quisq; Religionis patrarunt insigniter, atq; nobis etiam *imaginem vitæ suæ.* (Ut olim suis moriens Seneca) *consignarunt.* Ita ut si olim Pytagoras ex uno vestigio in Olympico stadio impresso, totam Herculis Staturam per regulas proportionum investigare potuit;

Exempla Patrum cujuscunq; Religionis qualia & quanta?

profectò, tot nobis à Patribus nostris relicta vestigia, quid aliud quàm non pigmæos illos sed ipsos Alcidas cælo sustinendo non impares, perspicuè demonstrant. Aristippus etiam cum vi tempestatis in littus maris terræ cujusdam ignotæ ejectus, notas ibi quasdam geometricas in arena exaratas conspexisset in hæc verba exclamavit: *Vestigia hominum video.* Et hæ quidem notæ erant ut dixi Geometricæ, eæq; terræ impressæ. Quodsi verò vidisset Patrum nostrorum vestigia non telluri tantùm, sed ipsi etiam cælo impressa; vestigia inquam & exempla, cælo Deoq; non indigna; an non ultra homines eosdem extulisset, ipsis exæquasset diis, non homines sed Deos proclamasset: *Vestigia* inquiens, *DEORVM video.*

Tria captu difficillima Salomoni visa fuerant: quartum autem penitus ignotum:
Prov. 30. *Via Aquilæ in Cælo, via navis in medio mari, via colubri super Petram, via viri in adolescentia.* Nec miror eâ tunc ignorantiâ ac difficultate Salomonem laborasse. Si tamen heroum nostrorum vixisset sæculis, horum omnium quæ ignoraverat, ad vivum expressa spectasset vestigia. Idq; parum fuisset spectare, per ter-

ram

ram, petras & rupes inaccessas, necnon asperrima quæq; viam adinstar colubri decurrentes ac pæne reptantes illos Apostolicos Operarios, parum per maria ad Indos & Japones, aliasq; remotissimas mundi plagas sæpè navium præsidio destitutos, per fluctus & procellas vectos, se navi se onerariâ usos. Plures etiam virilibus adultisq; passibus, in teneriori ætate virtutis stadium emetientes, ac planè viros in adolescentia. Præter hos, plurimos quoq; insuper spectare potuisset, qui sublimitate Sanctimoniæ, supra alios provecti, longè altiùs ipsis aquilis sua vestigia posuêre ipsiq; etiam inseruêre cælo.

Defacto ego prima cujusq; Religionis ac nostræ etiam Societatis sæcula, cùm prima quoq; mundi ipsius ætate, in eo non modicè convenire adverto, quod Sacra Geneseos enuntiat historia: *Gygantes* (inquit) *erant super terram, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Et utiq; habent hoc omnium rerum initia, quod rarioribus emineant exemplis, iisq; se commendent speciminibus, quibus ulteriores earundem rerum progressus carere consueverunt. Ita ut omnia in suis initiis quasi gygan-

tea mole assurgere, jam ulteriori temporum tractu ac decursu, velut in pumilionum mensuram decresere videantur. Sic mundus ab exordio sui Gygantes, etiam Pöetarum fabulis celebres recensebat: postea successu ætatum, pænè in pigmæos decrevit. Nec alia Ordinum etiam quorumcunq; Religiosorum vicissitudo. Scimus utiq; quantum unusquisq; illorum inter initia creverit & in quid paulatim desierit: eâ forte quod, *sicut supremis culminibus, ita quoq; maximis* Religiosis Ordinibus pænè *in punctum desinere basilicum sit.* Hinc illa Cassini in aula monasterii acclusa Primorum ejus Ordinis Patrum capita, cum hac inscriptione: *Hi sunt filii primi Spiritus, pro quibus non erat necesse dicere Requiem.* Et certè an non etiam cujuscunq; ordinis, Primi Patres, omnî ex parte Gygantes erant: iiq; verbo & opere potentes à sæculo? viri famosi, qui extra commenta Pöetarum, veriori Christi ipsius testimonio, subacto per Evangelium mundo, ipsi cælo vim intulere. Ita ut si verum dicamus, (quod olim exploratores terræ Chanaan retulere) illorum comparatione (saltem in futurum) velut locustæ videamur, sive gestorum magnitudinem sive virtutis sublimitatem spectando. Liceat

Liceat huc referre, quod textus Sacer de veteris testamenti Patribus pronuntiat: *Laudemus* (inquit) *viros gloriosos parentes nostros in generatione sua dominantes in potestatibus suis. Homines magni virtute & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum: Homines divites virtute, &c.* An non verò nostris etiam Patribus idem de integro convenit elogium? Hinc ut omittam illos Antonios, Paulos, Romualdos, Benedictos, &c. nostros quoq; Lainios, Fabros Salmerones Canisios & innumeros alios, de Xaverio illud verissimè proclamatum: *quod nihil minus antiquis Apostolis gesserit.* Ideoq; Indorum & Japonum Apostolus merito appellatus. Quanquam in Lusitania illud nobis universim virtus ac zelus Patrum nostrorum contulit, quod hucusq; etsi multis in contra ex parte nostra expostulationibus non alio quàm Apostolorum appellemur vocabulo Et id quidem nobis ad eruditionem insignem & exemplum. Utiq; enim P. Nicolaus Lancicius (teste Patre Balbino in vita ipsius) præter alios *Sanctum Patrem nostrum Ignatium magistrum Spiritûs & Sanctitatis appellabat, qui non obviam Sanctitatem, sed selectis-*

Eccles: 44.

lectissimam. & ut ita dicam obryzam, & gemmeam docuisset.

Quod cùm ita sit licebitne ab hinc ab iisdem nostris Patribus nos esse degeneres? Ausus est suæ Sponsæ illud exprobrare Sponsus in Canticis: *Si ignoras te ô pulcherrima, abi post vestigia gregum tuorum*: Ac si dixisset: vide quibus vestigiis insistas? expende quid te deceat? memineris originis conditionisq; tuæ, ita ut ea nihil indignum cogites, nihil unquam humile aggrediaris, Quodsi te tuamq; sortem ignoras, quodsi tui tuæq; celsitudinis vivis immemor: licèt evagari quocunq;, quamcunq; tenere semitam, gregariis vulgaribusq; insistere vestigiis: etiam post vestigia gregum, id est sensualium partis inferioris appetituum, passionum, habituum, inclinationum serviliter abire. Et hoc ipsum defacto serio nobis etiam mente versandum esset: qua scilicet origine simus: quo nos Patrum nostrorum vestigia ducant? nisi velimus nostræ sortis nostriq; ipsius, in probrum ac dedecus proprii nominis vivere immemores atq; sic gregaria virtute contenti.

A magnis Patrum exemplis degenerare nefas.
Cant: 1.

Uti olim ille Rex Ægypti Pharao: qui cùm se jactaret Isai: 19. *Filius Sapientum ego*

sum

sum Filius Regum antiquorum, turpibus suis demeritis Majorum suorum suumq; fœdavit nomen & gloriam. Pariter imbelles Isràélitæ qui Patrem se habere Abraham jactavêre, nec ejus gloriosissimis institêre exemplis. Cùm & illud Christus in Evangelio ipsismet intonuerit; *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum.* Justa utiq; illis comminatio qui cum luculenta eximiarum virtutum exstruerent ac in conspectu haberent memorialia; ipsas virtutes exprimere vita & moribus negligebant. Qualis quoque Jacobus Patriarcha fuerat: Stertebat ille gravi abreptus somno: Et dum videt *Scalam stantem super terram, ipsumq; cacumine tangentem cælum, tum Angelos sursum ascendentes per eam:* non tantùm se illis per æmulam imitationem non adjunxit, sed nec etiam se è somno & loco proripuit, inani spectaculo, ascendentium in cælum generososq; ac sublimes gressus in scala figentium Angelorum contentus.

Non absimili certè hoc in puncto illis spicis & bobus Ægyptiis quas Pharao Somniaverat res peragitur censurâ: Uno scilicet agro eoq; fertilissimo spicæ pullulaverant. Ecce ve- Genes. 41.

rò ex iſtis priores *ſeptem plenæ admodum atq; formoſæ*: aliæ autem poſteriores, *ſeptem tenues & percuſſæ uredine idq; omnem priorum devorantes pulchritudinem*: Præterea una eademq; ripa fluminis, iiſdem pratis virentibus boves paſcebantur. Interim ex his etiam: *ſeptem pulchræ & craſſæ nimis, aliæ autem totidem fœdæ confectæq; macie evasêre.* Ubi ſi juſta omnino tam in ſpicas ſteriles, quam in boves macilentas indignatio: quis nobis etiam vitio non verteret, ſi dum eâ vocatione, eâ omnimoda ſorte iisdem ſpiritualibus auxiliis cum Primis noſtris Patribus vivimus ac ſuſtentamur, nec tamen eâ plenitudine, ea pulchritudine, & craſſitie abundamus virtutis, omnem ab iisdem noſtris patribus diligentiſſimè ac laborioſiſſimè conquiſitam nobisq; relictam turpi inertia abſumendo famam & gloriam.

Illud planè hîc nobis eſſet metuendum probri, quod olim degeneres à ſuis majoribus Romani retulerant. Solebant illi in veſtibulis domorum imagines clarorum virorum, qui ibi quondam habitaverant ſtatuere & quidem cum ſpoliis armisq; quæ hoſti diripuerant, cum Coronis inſignibus præmiisq; quæ obtinuerant à Repu-

Republica à Senatu. Neq; cuiquam fas erat ea decora refigere. Sed (ut ait Plinius) *Triumphabant etiam dominis mutatis ipsæ domus. Et erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Quid autem imbellius nobis ipsis in tot Patrum nostrorum toto orbe prolatos intrantibus triumphos, nec ex parte nostra ullum simile virtutis heroicæ specimen exhibentibus. Eo crimine quod nostri similibus appingit Chrysostomus: *Crimen* (inquit) *est habere exemplum domesticum & non imitari virtutem.* Eoq; pariter dedecore quo Athenienses quoq; laborabant, qui cùm excellentes majores habuissent, ipsi non tantum ullis egregiis inclarescebant facinoribus, sed imò plurimis infecti fuêre flagitiis, ita ut illud de iisdem à Julio Cæsare prolatum sit: *Cum multa deliquerint Athenienses, nonnisi à mortuis eos conservari:* Hic planè locum habet quod Deus de Israëlitico populo ad Prophetam: *Ostende eis templum ut confundantur:* Et si unum illud ex quo tam magnificum amplum sublime splendidum Israëlitarum confusioni serviebat. Quis

lib: 35. c. 2.

Xiphilinus.

nobis rubor ex tot collucentibus insigni San-ctimoniâ (Patres nostros loquor) Sacrariis?

Utinam proinde tantum effugiamus de-decoris, intelligamusq; aliquando tam præclara Heroum nostrorum exempla eidem nobis debere esse usui, cui olim fuerant virgæ illæ discolores à Jacob ovibus concipientibus ante oculos propositæ, ut scilicet similes fætus conciperent parerentq;. Reassumamus proinde simile vestimenti genus quo Aaron nituit; *In veste poderis* (inquit Sapiens) *Magnalia Parentum erant sculpta*: Et hæc certè ipsa, id est egregia Patrum nostrorum exempla in nobis nostrisq; actibus cælo & mundo spectanda eniteſcant nihilq; illis dissimile appareat Ducto etiam à Boleslao Crivousto Rege Poloniarum exemplo qui in usu habuerat parentis sui è collo super pectus suspensam effigiem circumferre, cum eâ ad ejus aspectum in cujuscunq; aggressu negotii allocutione: *Absit Pater ut te aliquid indignum geram*: Intelligamus id nobis planè agendum esse quod Jacob de utero matris egrediens, idemq; natu minor egerat: nempe quod *fratris majoris plantam tenens*, eundem protinus in lucem secutus fuerit. Sequamur & nos itaq;

Sapient. 18.

itaq; tam præclara Patrum tenentes ac prementes vestigia. Et si vulpem aliquando vestigia ingredientium ad Leonem & non egredientium animalium terruêre, nos vestigia prædicta provocent invitent & ducant. Sint nobis præ oculis Patrum eorundem exempla velut illæ apud Jones majorum statuæ, quibus inscriptum fuerat: *Salve, Responde*: per id succedaneis posteris inculcando, ut domos suorum avorum ingressi, velutq; à ceris & statuis eorundem salutati, non dissimilibus responderent facinoribus. *Si electorum filii sumus*, loquor cum D. Gregorio, *restat necesse est ut per eorum exempla gradiamur*: Atq; sic (uti Tiberius Cæsar à Mauritio Filio expetiit) *sepulchra eorum virtutibus nostris exornemus*: Quorsum enim defacto tot & tanta ab illis gesta, nisi ut nos quoq; similia audeamus, idq; sentiamus ex animo: ideo illos præivisse ut nos sequamur, ideò tot ardua; tot aspera, tot difficilia perpessos; ut nobis expeditiorem ad heroicos passus viam redderent: ideo in tam sublimem Sanctimoniam eluctatos; ut nos omni similium ausuum desperatione ac inertia excussa, ad parem virtutis sublimitatem nisumq; provocarent.

Id igitur nobis agendum quam primum, illudq; Primis nostrarum Religionum auctoribus, ac Sancto etiam Patri nostro in omnes actus nostros intentissimo præstandum Solatii, quod Aquilæ de suorum pullorum volatu sibimet applaudenti inscripsit quispiam: *Mei* (inquit) *non degenerant.*

ADHORTATIO VII.

MOTIVUM VII.

Exemplis externis Sæcularium DEO & virtuti solidè famulantium non vulgaris suadetur Sanctimonia.

ITerum exemplis non vulgarem promovemus Sanctimoniam Hæc tamen jam non è domesticis penetralibus, non è Religiosorum Claustris, non è severioris observantiæ asceteriis, non è profunda Thebaide, non à Benedicto, Basilio, Antonio, Romualdo, iisq; sive Ascetarum sive Eremicolarum Antesignanis, aliisq; vitæ Religiosæ rigidis cultoribus; sed à mundo ipso, à sæcularis vocationis hominibus in præsens petimus. Nimirum habet etiam mundus, quo Sanctissimis ordinibus sese comparet: habet periculosum hoc mundi mare,

ut

ut non ſolos virtutis ſcopulos, non ſolos laqueos, non ſola corporis & animæ pericula intra ſe recenſeat, ſed gemmis etiam hoc eſt inſignibus ſublimioris Sanctimoniæ exemplis glorietur. Hæc ego igitur nobiſmet ante oculos proponenda ſuſcipio; idq; ut rubore quodam, ac verecundia ſuccenſi, tanto efficaciùs ad noſtri propoſiti metam noſmet convertamus.

Habent hoc generoſiores animæ, quod nulla re magis ad eximia quæq; quàm â magnis aliorum exemplis, incuſſo ſibi rubore & confuſione excitentur. Ita ut omnino verùm ſit quod à quopiam prolatum: *Æmulatio eſt calcar ad capeſſenda ardua & difficilia.* Juxta verò Plutarchum: *Vt non eſt verus amor, qui caret zelotipiâ ita non amat vehementer virtutem, niſi ardeat æmulatione rectè factorum ab aliis*: Quod ipſum ducta ab equo ſimilitudine apud Pöëtam declaratur: *Tunc bene fortis equus reſerato carcere currit: cùm quos prætereat quoſve ſequatur habet.* Hinc ſcimus quantum Æmula Romæ Carthago, ipſiſmet Romanis ad virtutem profuerit, ita ut Roma putaret tamdiu ſuorum Civium Fortitudinem non caſuram, quamdiu Carthago ſtaret, & ruituram illico, ſi illa cor-

rueret. Idq; ex eo quod quantum ruboris ex Carthaginensium fortitudine Romana capiebat juventus, tantum inde incitamenti ad similes ausus referebat. Jam Alexander Macedo quantum ex solo Achillis tumuli aspectu commotus? idq; ut ait historicus: *Studio gloriæ & æmulatione virtutis*: Julius Cæsar ex aspectu simulacri ipsius Alexandri? ita ut in illud proruperit: *Nos autem quid*? Ut non memorem Themistoclem, Miltiadis trophæis semet ad similes ausus excitantem. Zeuxem & Parthasium in arte pictoria mutuæ æmulationis impulsu famâ per orbem redditos celebres.

Nec aliunde est, quo DEUS ipse per Prophetam, Sidonem ad resipiscentiam exstimulat ac provocat: *Erubesce* (inquit) *Sidon ait mare*: Et certe non pauca forsitan mare invenisset objicienda Sidonitis, si loqui potuisset. Verùm unde etiam nobis Religiosis justum pudorem posset incutere videamus? Illud ego interea adverto, quod Psaltes innuit: *mirabiles* (inquit) *elationes maris*: Quid enim defacto mirabilius? quàm ad modicum venti flatum mare commoveri intumescere, ultra nubes fluctibus, in immensum assurgere, ac

Isai: 23.

pænè

pænè cælo ipſi ſe inferre. Et hoc ipſum eſt; quod non Sidonem tantùm ſed nos etiam Religioſos meritiſſime facit erubeſcere: in quos cùm tot & tanta Divinior Spiritus exerat flamina, interim turpi detenti inertia, vix ad hæc commovemur animo, vix nos è terra in altum modicè proripimus, nec unquam ſatis torpidæ mentis noſtræ excutimus malatiam. Et ſi per mare communi & trita admodùm interpretatione mundum intelligimus? quanta etiam nobis inde ruboris provenit materia, quod à mundanis quoq; hominibus hac in parte tantopere ſuperemur. Quot enim ſæculares homines inſigni admodum ſupraq; cælum ipſum provectâ Sanctimoniâ celebres novimus? quot inter mundi laqueos, inter mille delinquendi occaſiones ac illecebras, inter continua ſcandala educatos; hos tamen eâ effloruiſſe virtutis laude ac ſi inter Eremitoria, inter Aſceteria ſtrictiſſima vitam exegiſſent. Quales illi Henrici, Ludovici, Eduardi, Caſimiri, Elſearii & innumeri alii terræ cæloq; cogniti. Et id omnino in hunc locum S. Gregorius 3. part. Paſtor. cap. 29. *Quaſi per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ ſæcula-*

cularium atq; in mundo fluctuantium, ejus qui DEO dedicatus, & quasi munitus & stabilis cernitur, vita reprobatur.

Planè hic locum habet illa Eliæ nubecula: *Ecce* (inquit) *nubecula parva ascendebat de mari & facta est pluvia grandis.* Non illa videlicet de quopiam Paradisi emerserat fluvio, non de illo flumine vitæ Apocaliptico, non de aquis super cælestibus aut de Nilo saltem, ortum vaporesq; traxerat: sed de mari salsedinis & amaritudinis pleno, eoq; non ubertatis sed procellarum nonnisi sterilium, parente: Ecce tamen ultra mare terramq; sese attollens, quàm eximios de se effudit fructus, protulit solatia: *Facta est* inquit *pluvia grandis.* Atq; eô etiam ipso mundanorum illa hominum retulit symbolum, qui cùm suam sterili mundo solasq; spinas & tribulos germinanti conditionem debeant, nec iis quibus Religiosi homines abundent subsidiis ac spiritualibus fomentis; interim tamen sæpe uberiores virtutum proventus exhibent; sæpe ampliori divinæ gloriæ suarumq; animarum emolumento deserviunt. Seu etiam velut: *Lilia inter spinas* sanctimoniâ efflorescunt, *sicut malus inter ligna sylva-*

3. Reg. 18.

ſylvarum dignos DEI palato fructus proferunt. Non abſimiles illi ſpectaculo quod Moyſi in rubo exhibitum fuerat: *vadam* (inquit) *& videbo viſionem hanc magnam*: quænam vero illa: Reſpondet Philo: *E medio promicabat. Forma quædam pulcherrima nulli viſibili ſimilis.* E medio inquam non Palatii non regalis horti, non nobilioris hortenſis arboris, ſed Sylveſtris ac ſpinoſi rubi.

Hinc advertite, quo Chriſtus ſuorum Diſcipulorum provocet oculos: *Conſiderate* (inquit) *lilia agri*: Eccur verò illos ad lilia hortis pomariisq; accluſa attentius ſpectanda non invitat? Hæc nempe intra omnia commoda & ſubſidia creſcere, intra cogitabilem culturam ac providentiſſimas hortulanorum manus verſari, his omnem curam laboremq; impendi, omnem cuſtodiam ac vigilantiam adhiberi, extra omne periculum, extra omnem inſultum, ac auræ etiam noxiæ afflatum, eadem longè degere: atq; ſic ſimilitudinem hominum religioſorum in ſe referre. Illa è contra, utiq; lilia agri, omni culturâ ac providentia deſtituta evireſcere, nullâ ſui curâ & labore propagari, omnibus undiq; patere periculis ac

ac incursibus, omnibus objici tempestatibus & incommodis, ventorum etiam quorumcunque acerrimæ hostilitati exponi: ita ut cuivis liberum sit, decerpere arrodere exscindere conculcare, nullis utpote ab omni parte sepimentis clausuris, custodiis defendentibus. Ideoque hæc eadem sæcularium statum ac vitam apprime in semet exprimere. Animadvertite tamen, quidnam de talibus liliis Christus senserit? *Nec* (inquit) *Salomon in omni gloria sua sic coopertus est sicut unum ex istis.* Ubi quantus exinde Salomoni illi per totum orbem gloriosissimo pudor & confusio, quis facilè non intelligat? nec verò minor nobis etiam rubor, dum à sæcularis vitæ hominibus, eâ sanctitate in qua palmam cuivis præripere deberemus, nosmet turpiter vinci permittimus, ita ut Christus ipse sæcularium exempla, veluti lilia agri, ad justissimam nostram confusionem, nobismet ante oculos exhibere videatur.

Ita certè sicut Judæis electo utiq; DEI populo non injusta confusio fuerat, dum gentiles tres Magi, plusquam illi, licet ab unica stella de nato Messia cælitus illuminati, hunc ipsum sedulo apud eosdem progenitum inquirerent

ferent, inventumq; muneribus colerent, quem ipsimet turpiter inter tot Prophetarum oracula velut sexcenta lumina cæcutientes, apud se hospitantem ignorarent. Ad quod D. August: Serm: 2. de Epiphan: *Hæc* (inquit) *Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis extitit Judæorum. In terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant &c.* Heu verò longè majorem Religiosorum hominum confusionem quod non raro à sæcularibus, illuminatione circa divina & spiritualia, tum cognitione DEI proindeq; ejus ipsius amore & cultu longè superentur.

Quanquam liceat hic tum ad illas vaccas Philistæas, arcam DEI in Israël revehentes, 1. Reg 6. tum ad illos boves Israëliticos eosq; Sacerdotales sub eâdem arca calcitrantes advertere. 2. Reg. 6. De illis imprimis, illud in scriptura legimus: *Tollentesq; duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosq; earum concluserunt domi.* Et infra: *Ibant autem in directum & itinere uno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram neq; ad sinistram.* Dignæ sanè omni admiratione ac encomio istæ Philistinorum gentiles vac-

cæ: quod tam fideliter tam exactè tam constanter arcæ DEI ministraverint. Non illas domesticæ caulæ, non socii greges, non relicti domi lactentes vituli non eorum ejulatus, à divinio-re retardarunt ministerio: ita ut non tantum tædio victæ non redierint, non tantum incommodo itineris, ac onere plaustri defatigatæ non substiterint, non tantùm non deflexerint vel minimum, sed nè retro quidem obtutus verterint: constantissimè ad præfixum terminum anhelantes: tunc nonnisi capto respirio, postquam illum tenuère. Idq; sine ullo præduce, sine directore sinè flagello. Aliter verò longe, boves illi Israëlitici, boves arcæ ministerio consecrati se gesserant. Juncti quoq; ipsi ad plaustrum, in quo arca DEI fuerat deposita. Vix iter ingressi, ecce illico in hanc & illam partem deflectere, calcitrare illico, flagella non ferre, jugum excutere, ac etiam ipsi arcæ periculum facere, nisi illi cadenti Osa Sacerdos manu admota opem attulisset. Ubi quis non indignetur, his bobus Israëliticis, tam Sacro usui deputatis ad idq; unicum enutritis ministerium: Illisq; vaccas illas Philistæas ac gentiles longè non præferat? Nisi quod nos etiam

Reli-

Religioſi, planè eôdem laboremus probro eodemq; vitio. Cùm enim ſoli Sacratiori mancipati jugo & ad hoc, tot DEI gratiis ac beneficiis enutriti, omnibus aliis curis ac ſollicitudinibus vacui, toto conatu & viribus, divino noſmet deberemus impendere obſequio, atq; ſic ad ſupremæ Sanctitatis terminum rectâ contendere: ecce nos calcitramus toties, toties deviamus ac retro cedimus, jugum hoc divinius non ſemel excutimus, adeoq; nimis languidè ad metam præfixam, nimis perfunctoriè nimisq; inconſtanter provehimur. Utinam nobis rubori eſſent, tot ſæcularis vitæ homines, longè in divino alacriores obſequio, quos non curæ domeſticæ, non numeroſa pignora, non ſollicitæ victus & amictus rationes, à ſtudio virtutis retardant. Quanta illis peccatorum fuga, quam ſcrupuloſa, nè in quoquam devient conſcientia, quam ſeduli in via virtutis progreſſus, quanti ad eximiam etiam Sanctitatem niſus, quanta in propoſito pietatis ſuſcepto conſtantia, ita ut non tantum pleriq; illorum religioſos æquare ſed etiam longè ſuperare videantur.



Proverb. 6. Non frustra quispiam piger in scriptura vadere jubetur ad formicam, ubi depositâ ignaviâ laborem ediscat: *Vade* (inquit) *piger ad formicam:* Certè enim idem sibi intimari putet tepidus quicunq; Religosus. Quidnamq; aliud illi homines sæculares laboriosi rudes plebeii: quam innutritæ laboribus oneribusque formicæ. Interim ab illis etiam habent quod ediscant religiosi inertiæ dediti. Quàm enim indefessum in horum plerisq; elucet sanctimoniæ studium, quam elaboratæ virtutes, quanta omnium adversorum onerumq; tolerantia, quam bene abundeq; provisus bonorum operum meritorumq; commeatus, quanta simplicioris aliàs mentis illuminatio, ita ut illi ipsi toties, quibus eorum perspecta conscientia, tantam in tam abjecta & humili conditione virtutis sublimitatem suspicere & admirari cogantur.

Illud verò mirum quò Sponsam etiam Sponsus ablegat? *Si ignoras* (inquit) *te ô pulcherrima, abi post vestigia gregum.* Quæ autem oro eadem vestigia? an non hominum sæcularium? ad quæ relegenda in persona Sponsæ nos ipsimet Religiosi à Sponso nostro Christo

ſto non invitamur modo, ſed etiam propellimur ac protrudimur, pari rubore doloreq; quo inſigniſſimus ille vitæ auſteritate & Sanctimonia Antonius ad unum tibicinem inſperata comparatione relegatus. Aut quò Abbas Silvanus in vitis Patrum lib. 5. de compunctione, ex raptu ad ſe rediens, ac flens dixit: *Ego ad judicium raptus ſum & vidi multos de habitu noſtro euntes ad tormenta, & multos ſæculares euntes ad regnum.* Abbas quoq; Alexander ita ſe excitabat: *Væ tibi Alexander! quanta erit confuſio tua, cùm cæteri coronabuntur.* An non verò ſæculares illi præ Religioſis & aſcetis, imò Eremi etiam cultoribus?

Horum igitur ſaltem exemplis nos quoque diſcamus ſublimius eniti, illorum comparationibus ſapere, juſto ab iis incuſſo rubore ad egregia quæq; ſtimulari: Alioquin ni hic noſtram ſatis erubuerimus inertiam, formidandum nobis, nè dies ipſe judicii, qui Religioſas virtutes cum ſæcularibus palàm conferet, longè gravius cogat nos erubeſcere, ac irremediabiliter confundi.

ADHORTATIO VIII.

MOTIVUM VIII.

Exemplis sæcularium mundo & vanitati militantium non vulgaris Sanctimoniæ cura suadetur.

NOndum satis rubori datum; adhuc illum etiam exempla sæcularium accendunt. Verum longè hæc diversa à primis. Illa scilicet DEO virtuti Sanctimoniæ militabant: ista mundo terrenis vanitati mancipata, illis se ex integro dedicant ac debent. Hæc igitur ipsa, ad nostrum iterum ruborem, pariterq; excitamentum in præsens exhibeo, ut his saltem exemplis non vulgaris Sanctimoniæ curam & studium in nobismet promoveam.

Illud est mundi vanitatisq; ingenium, quo se in oculis hominum depingit effingitq; insinuat in animos: Nempe quod in illos velut præstigiis agere videatur, eousq; infascinando eosdem, ut cæco pæne impetu, ac si philtro epoto; in omnem ejus amorem & obsequium rapiantur. Hinc ea etiam est generis humani cæcitas quod longè plura longeq; majora, pro mundo terrenis vanitate quam pro DEO virtute Sanctimonia merito præmioq; æterno aggrediatur, impendat sustineat. Hu-

Hujus verò ipſius in poſteris Nòé poſt diluvium turris Babel ædificatoribus evidens documentum eſto. Audiamus quid illi ſecum conſilii ineant, quid moliantur? *Venite* inquiunt *faciamus nobis Civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum & celebremus nomen noſtrum:* Ubi quis non advertat: quanta hujuſce operis futura erat ſublimitas? hinc quale profundum, qualis item latitudo ac circumferentia? Unde ulterius facile quisq; conjiciet, quantis hic laboribus, quantis curis ſtudiisq; quantis impenſis opus fuerit? Verum quænam tantorum conatuum intentio, quis finis? non alius ſcilicet quàm ſola & unica vanitas, nimium evanida proprii nominis celebratio. Huic uni tantùm ſudatum, tantùm impenſum eſt: Ut inquiunt *celebremus nomen noſtrum.* Utinam verò has tantas curas labores ac impendia ad ſublimem potius cæloq; conterminam virtutis & Sanctimoniæ fabricam convertiſſent; certè longè citius eam eduxiſſent in faſtigium, plusq; ſibi gloriæ, plus emolumenti comparaſſent, nec tantis eguiſſent laboribus tantoq; ærario. *Gen. 11.*

Daniel. 4. Utinam & ille Nabuchodonozor hac etiam in parte non desipuisset, illud superbè, & jactabunde ad semetipsum proloquens: *Nonne hæc est Babilon magna? quam ego ædificavi in domum Regni in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei:* Quid enim lucri hinc etiam ille retulit? nisi quod eam sibi, quam in nomine præfert Babilon, extremam videlicet confusionem, in bovem transformatus consciverit. Melius egisset longè, si pro cælesti magis Jerusalem quàm pro Babilone terrena, tantum impendisset, proq; illis turribus ac propugnaculis, quæ nubibus admoverat, ipsemet sublimitate eminuisset virtutis. Huc illa mundi miracula, huc Ægyptiorum Regum Mausolæa ac pyramides. Huc illa amphitheatra, huc Colossi ultraq; nubes porrectæ moles. Quas etiam quid profuit prope cælum attollere, se autem deprimere infra terram. Quid profuit immortalitatem nominis tot sustentaculis fulciri, omnem interim boni honestiq; rationem turpiter corruere. Quid profuit in posthuma mortalium versari memoria, mortem autem animæ probrumq; oppetere sempiternum. Et hoc tamen ipsum est: quod nos non mediocri

rubore

rubore afficiat: idq; ex eo: quod cùm illi tot & tanta pro vanitate laborassent, tamq; sublimes pro ea gessissent spiritus, quos tot structuris ultra nubes prominentibus atq; impendiis ac sudoribus testati sunt: Nos interim infra jaceamus, virtutis non dico mediocritate sed extremitate ipsa sordidè contenti: nihilq; dignum Cælo, dignum Æternitate, dignum DEO, moribus profiteamur ac vita. Non dissimili hinc nostra confusione illi ipsi, quam Themistocles Atheniensi militiæ ex occursu duorum gallorum gallinaceorum inter se pertinacissime pugnantium incutere voluit: *At hi* (inquiens) *neq; pro Patria, neq; pro diis familiaribus pugnant, neq; pro gloria, neq; pro libertate, neq; pro liberis.*

Nè tamen isti vanitatis jurati asseclæ, solis ædificiorum ac turrium fastigiis sui excelsitatem genii testari viderentur: liceat ad alias eorum impensas progredi. Exod: 32. Israëlitæ per Moysis absentiam non modicum ausi, ad Aaronem magnis vocibus clamavere: *Fac nobis deos qui nos præcedant*: Inaures ille aureas ab omni multitudine sexus utriusq; ad id operis præstandum postulaverat. Nec in his ulla cun-

ctatio:

ctatio ; omnia non tantum ad sufficientiam; sed etiam ad abundantiam contributa : in ignem projecta : *Et egressus est vitulus.* En quanta liberalitatis effusio, quantæ consequenter tantæ multitudinis in unum congestæ impensæ? Sed quo tandem ista? nimirum non pro DEO, non pro divinioribus aris, non pro sanctioribus delubris sed pro vitulo. Ventum hic quoq; fuerat, breve post temporis intervallum ad illum celebrem, mirificum, letales solo sui aspectu persanantem morsus, ac ipsius Christi in se referentem figuram exaltatum in deserto serpentem. Fabricandus ille etiam à Moyse fuerat. Qua vero materiâ quibus impensis? *Fecit* (inquit) *Moyses serpentem æneum.* Verum ubi aurum, ubi inaures aureæ, ubi illæ tam profusæ in vitulum opes? Ea scilicet est hominum vecordia, quòd se plus uni vitulo, lasciviæ ac voluptatis symbolo, plus mundo plus carni, plus vanitati quam DEO ac virtuti impendat. Et si huic & tantæ indignamur amentiæ; nostræ etiam simul in DEUM tenacitati indignemur necesse est: quòd cùm sæculares homines erga mundum atq; vanitatem tam liberaliter tam profusè se habeant, nec eximiis

miis quibusq; impensis ac metallis parcant, nos Religiosi vix stanneam ut ita dicam in veri Numinis cultum exhibeamus virtutem. Non hic memoro filium prodigum, totam substantiam, usq; ad extremam sui egestatem in meretrices expendentem. Non recenseo luxus Neronis, Caligulæ, Vitellii, in quos cùm illi solius vanitatis gratiâ immensa exhausissent æraria; eo ipso nosmet admonuêre, quanta nobis etiam impendia, in gratiam DEI, in possessionem virtutis essent conferenda?

Jam si excellentes ausus atq; heroicos desideramus? Prætermissis aliis, solos fortes David 2. Reg. 20. enumeratos producamus in medium. Quid enim Eleazaro Bellicosius? qui dilapso omni exercitu, unicus ipse contra densas Philistinorum Phalanges dimicans, tamdiu manu valida decertabat: *donec deficeret manus ejus & obrigesceret cum gladio*: Ac tandem hostis partim cæsus partim fugatus illustrem victoriam ac opulenta spolia relinqueret. Quid audentius tribus illis, qui ut de Cisterna Bethleem poculum aquæ frigidæ Davidi sitienti porrigerent, armata hostium agmina hinc & inde pervasêre. Quid animosius

Abiſai ? qui unus etiam *levavit haſtam ſuam contra trecentos , & interfecit eoſdem* : Quid tandem fortius Banaia trium leonum Gygantisque Ægyptii interfectore triumphali ; Jam quid illi , gentili antiquitate celebres , Curtii, Horatii , Scevolæ , Cynegiri , Zopyri & innumeri alii. Et hos quidem tantosq; heroas mundus pro ſe recenſuit , qui ipſum etiam ſibi litârunt ſanguinem & vitam idq; ſolo famæ evanidæ intuitu. Pro ingens pudor ! ſi Religioſi athletæ mediocribus velitationibus contenti palmam ſibi in eo præripi paterentur.

Si de quo certe de mundi aſſeclis illud Pſalmi : *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Profecto enim illorum omnia telis aranearum ſimillima. Ipſi vero velut araneæ ſemet eviſcerantes in tot laborum certaminumq; impendia. Quo vero id emolumento & lucro ? Non alio ſcilicet , quàm quo ſuis aranea ſolas muſcas concludens retibus, id ipſum intra ſummam reponit ſortem. Quid enim illæ in immenſum congeſtæ opes ? quid ſumma honorum faſtigia quid famæ & gloriæ temporalis lucra, niſi denſa muſcarum avolantium agmina. Et ecce quantum pro his laboratur deſudatur, certatur vitæ

& sanguinis absumitur, nec simile quid pro DEO, pro virtutis & meriti præmiiq; excellentia agitur. Et si indignamur, aureo reti piscanti vilesq; pisciculos in illud concludenti Antonio, quantum hæc ipsa humana indignationis mereretur tanta pro temporalibus agens & impendens amentia.

Quia verò non agere tantum sed etiam sustinere & pati Heroicum est: hinc talium quoq; mundi heroum excutiamus exempla. Et licet illorum plenus ubiq; mundus est: interim unum mihi Jacob Patriarcham sufficiat producere. Ipse de se clarè profitetur, quantum ille pro Rachele laboravit, quantum sustinuit, sudavit, & alsit: *Die* (inquit) *noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis: sicq; per viginti annos in domo tua servivi tibi* : Pluribusq; adhuc aliis Labanum alloquitur. Quodsi verò tot & tanta promeruit unius Rachelis sterilitate laborantis pulchritudo: quid decor ac fæcunditas virtutis; quid venustas Sanctimoniæ, quid pulchritudo ac bonitas immensa Numinis?

Genes. 31.

Ast quidnam homines mundi gratia non audent? quid non agunt? quid non sustinent?

nent? Quid illi præter alios, sacrificuli Baal non egêre? qui 3. Reg. 18. ut ignem in sua evocarenet sacrificia: *Clamabant voce magna & incidebant se* juxta ritum suum *cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine*: Quò etiam spectat illa Spartanorum puerorum consuetudo, qua (ut testatur Plutarchus in Laconicis) *jubebant se cædi super Aram Dianæ, concertando secum ad invicem, quisnam illorum plus verberum sustinuisset*? Unde (inquit Plutar:) *nec gemitum nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant, tantum ut victoriæ hujus nomen & decus obtinerent.* Ubi quis oro sui corporis delicatus fautor non erubescat? nihil se pro DEO simile, agere, nihil perferre simile quod illi sustinuêre pro Baal, aut specioso evanidæ gloriæ lucro. Ita ut hic etiam non uni, integro intra corpus venasq; cruore in faciem exprobrari possit: *Nondum ad sanguinem restitisti*: Aut certe quod Apostolus de decurrentibus stadium: *Illi quidem* (inquit) *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Et hoc plane ipsum est, quod Religiosos imò quoscunq; etiam homines non ad ruborem

modo

modo sterilem sed simul ad eximia quæq; pro DEO patranda & toleranda non leviter extimulare deberet. Uti de quopiam Psaltes: *Lavabit* (inquit) *manus suas in sangine peccatoris.* Id est: eluet & abolebit manuum suarum & operum ignaviam, exemplis peccatorum mundo, carni, diabolo etiam profusione sanguinis & vitæ militantium, atq; sic manus quoq; suas ad heroica quævis pro DEO agenda & subeunda aptabit.

Quod cùm ita sit: an non etiam idem præstandum nobis, merito cum quopiam exclamando: *O si tantum DEO quantum mundo!* Consulendumq; abhinc justo pudori nostro, atq; eò demum assurgendum animis, ut non tantum mundanos heròés æquare, sed longè etiam laborum sudorumq; ac ipsius quoq; sanguinis & vitæ impendiis anteire possimus.



ADHORTATIO IX.

MOTIVUM IX.

Non vulgarem in nobis Sanctimoniam singulariter à DEO probari atq; exigi.

PLuribus hactenus motivis non vulgarem promovimus Sanctimoniam. Et hæc quidem Religiosæ ad omnem virtutem optimè animatæ alacritati abundè sufficerent. Sed quia multum sublimem nobis metam proposuimus, ideo non vulgaribus quoq; ad eam passibus, non humilibus enitendum principiis. Unde verò hæc interea, si non à summo, quo nihil sublimius, nihil sanctius rerum omnium auctore, convenientius petenda? Hunc igitur nobis, ejusq; divinam complacentiam & gustum pro motivo sublimioris Sanctimoniæ in præsens statuimus: ut scilicet cujus placito ad illam movebimur, ejus etiam auxilio & gratiâ ad candem efficaciter provehamur.

Illa est Principum terrenorum conditio, quod ad eorum vitam, & mores, famulantium subditorumq; turba se in omnibus componat. Juxta illud: *vultus regum sunt facies populorum:* Aut quod alius quisqiam: *Nemo suos hæc est aulæ natura potentis, sed domini mores Cæsa-*

Cæsarianus habet. Hinc illud Plinii de Trajano: *Eo obsequii continuatione pervenimus; ut prope omnes homines unius moribus vivamus.* Hinc etiam cæcutientes aulicos cum cæcutientibus Principibus, claudicantes cum claudicantibus legimus. Quales illi Æthiopes de quibus Historicus: *Turpe* (inquit) *existimantes Rege claudo non & omnes domesticos claudicare.* Jam ad placitum & gustum suorum magnatum ministri aulici quantum se in omnibus fingant, quis nesciat? ita ut vel nutum ipsum, vel minimum eorum placiti indicium, vigilantissime observent: imò etiam prævertant. In quo præcipua Turcicæ Politiæ ac statûs elucet ratio, ubi ad unicum Imperatorium nuntium supremi etiam ejus aulæ ac Imperii ministri sua capita vix non ea promptitudine morti devovent, qua vitam vel magistratum acceptarent.

Nec vero dispar supremi Auctoris in eo sors esse deberet. Tum quòd is tantusq; sit, ut omnia in se exhibeat imitatione dignissima; longe aliter quam mundi principes, in quibus plura reperias quæ detesteris, quam quæ æstimes: inq; tuos mores ac vitam transferas. Tum quod ipse pro exemplari ac Prototypo se

Deus vult ut eum in sanctitate imitemur.

nobis

nobis proposuerit, ac inculcarit toties, ut ejus sedulæ imitationi nosmet impendamus: *Estote* (inquit) *sancti sicut & ego sanctus sum, Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.* Jam quid congruentius quid justius, quàm ad ejus complacentiam, & gustum vivere, eò dirigere omnia, iuxta illius voluntatem & nutum cuncta expedire, contraire in nullo?

DEUS multum sibi complacet in sublimiter sanctis.

Quid autem oro eidem divinæ complacentiæ & gustui conformius? si non sublimioris Sanctimoniæ, sedula cura & studium. Patuitq; id ipsum in illo notissimo Jacobi Patriarchæ spectaculo: Ubi *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cælum. Angelos quoq; DEI ascendentes & descendentes per eam, Dominum autem innixum scalæ*: Cujus verò gratiâ idem Dominus huic scalæ innixus accumbit? ita ut ex ejus summo velut è specula aliquid fixius prospectare videatur? Num hîc terra rarius quidpiam idq; diviniore dignum oculo exhibuit? Hoc tamen etiam ex cælestis gloriæ throno an non spectari licuit, ut ad scalam inferius sese demittere opus non esset? Adverto ego facile: quodnam illud DEO ipsi tam gratum acciderit spectaculum.

An-

Angeli erant, iiq; magnis paſſibus in ſublime aſcendentes, quorum jucundiſſima viſione captus, etiam throno ſuo teneri non potuit: ut ipſimet ſcalæ aſſiſtens, propius viſioni intereſſet. Cumq́, adhuc tam dulci illecebrâ ſatis exſatiari non poſſet: ut attentius curioſiusq́; ſpectaret (ſic enim diviniſſimum etiam Numen in talibus curioſitate tangitur) eidemq́; tantisper indulgeret, ſeſe vicinius quodammodo acclinavit, ſcalæq́; accubuit: plerisq́; eum locum legentibus: *Dominum incumbentem ſcalæ.* Inde autem non leve documentum eſt; quam grato ii DEUM ipſum delectent ludo, qui mediocritate virtutis poſthabita, uſq́; ad ejus faſtigium ſeſe promovent. Si enim Angelorum connaturalis utiq́; in ſublime aſcensus, tantum divina movit præcordia; quanto magis hominum pœne contra naturam prægravante corpore luctantium niſus, ejuſdem DEI oculos in ſe provocabit. Advertite tamen adhuc, non inferioribus ſcalæ gradibus, aut mediis illum accumbere, ſed ſummo gradui inniti, ut ſcilicet pateat, illos tantum in DEI poſſeſſionem venire, qui mediocribus ſpretis, ſupremum virtutis gradum tenuerint.

Idem est quod Sponsa de Sponso in
Cant. 2. Canticis. *Ecce iste saliens in montibus, transiliens colles:* Unde vero illi, hi tantiq; saltus? Cur non valles, cur non planities saltem, huic ludicro ac saltatorio usui deputatæ? Nisi quod nullibi sit gratius Sponso nostro vestigium ponere; quàm quos sublimior sanctitas mundo spectabiles fecit, ultraq; terram notabilius extulit: ita ut illi velut saltatorius ludus sit, in talibus plantam gradumq; figere.

Quid dico gradum figere? cùm etiam, nulli liberalius præterquam iis ipsis, quorum
multum in illos est liberalis adinstar culminum erectior succrevit virtus, se DEUS ipse impendat, suæq; in eos beneficentiæ sinum largissimè effundat, ut ait Psaltes:
Psalm. 103. *Rigans montes de superioribus suis.* An verò valles etiam vel planities hoc DEI beneficio ac liberalitate non gaudent? itane in solos montes tam copiosæ eluviones redundant? Nimirum hic, de Sanctioribus ultraq; alios virtute eminentibus viris res est: in quos adeo liberales gratiarum suarum, donorumq; supremus arbiter dispensat rivos, acsi alios quosvis nè
Stobæus gutta quidem beneficentiæ suæ dignaretur.
Sermon. 54. Atq; ita si quondam Rex Artaxerxes nota-

bili unius pomi, quod sibi à quodam hortulano muneris gratia oblatum fuerat, ita erat delectatus magnitudine, ut eundem muneribus regiis ornaverit, ac etiam regimine cujuscunq; civitatis dignum judicarit. Quantis præmiis & donis non mediocrem Sanctimoniam in suis servis DEUS remunerari solitus?

Nisi quod etiam parum sit in donis exterioribus liberalem esse, si intimæ delectionis viscera non pateant. Patuere vero eadem urbi Sion, ita ut Psaltes palam profiteri ausus esset: *Fundamenta* (inquit) *ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Unde autem hæc ipsa dilectionis prælatio? Cur non etiam eadem tabernacula æquè DEO dilecta? quid in Sione, ut sic in dilectione præferretur, meriti? quid demeriti, ut sic postponerentur, in istis? Advertite hic velim quidnam eo loci antecedat, & quidnam inde immediatissimè consequatur. Nimirum in Sione celebrantur ita sublimia fundamenta, ut vertices montium occupaverint: *Fundamenta* (inquit) *in montibus sanctis*: Quid autem legitimè ex eo antecedente consequitur? Nimirum non aliud quàm prælati-

Singulari dilectione in eosdem fertur

Psalm. 86.

va amplissimæ dilectionis dignatio: *Diligit Dominus portas Sion:* Idq; ut non habeant amplius quod Sioni invideant tabernacula Jacob, utpote sive in declivi sive in plano sita. Et quia juxta Hieronymũ, Sione culmen & perfectio virtutum denotatur: hinc palam est, quantam iis DEUS dilectionem exhibeat, qui sese in sublimiore fundant Sanctimonia.

Uti quoq; illi exhibuit de quo Psaltes: *Accedet homo ad Cor altum: & exaltabitur DEUS.* Quod autem Cor illud? nisi divinum: ad quod ipsum facilis patet iis accessus, qui in eam sese elevant sublimitatem virtutis, quæ exaltando Divino Nomini par sit, ad idemq; usq; Cor supremi Numinis collimet ac pertingat.

Nè verò solum velut per transennam idem DEUS his ipsis affici videatur. Expendite ubinam stabilem sibi figat stationem? *In sole* (inquit scriptura) *posuit tabernaculum suum.* Psalm. 18.
Neq; hic illum solem, qui terram diurno collustrans lumine oritur & occidit, intelligendum esse. Verum potius illustriores solisq; æmulos DEI servos, de quibus ejusdem scripturæ sacer textus: *Fulgebunt justi sicut sol:* In his scilicet

DEUM

DEUM sibi sedem figere, illis se communicare liberalius, in his sibi singularius complacere.

Ideoq; illis etiam pro speciali suo ornamento uti, prout advertit in Apocalypsi Joannes: *In dextera sua* (inquit) *habebat stellas septem*: cùm apud Cornelium pleriq; asserant: *His stellis pro annulis usum*: Et de facto viros illustriori Sanctimonia conspicuos, ita DEUS apud se æstimat, eoq; loco reponit, ut eos velut pretiosos annulos manibus suis induat, cæloq; ostentet. Qualis ille fuerat, quem Deus ipsemet benevolentissimè allocutus: *Servus meus es tu, in te gloriabor*: Nimirum non vulgares DEI servi ii sunt, quorum sanctitate idem DEUS in facie terræ cæliq; universi solennissimè gloriari consuevit.

Quanquam quis hîc humile aliquid ac mediocre etiam cogitaret? Ubi excelsa omnia, omnia sublimia, omnia tanto Numine digna, omnia cælo exiguntur majora, solo inferiora DEO: Ubi thronus ipse non vulgari sublimitate adeo conspicuus, ut de illo Propheta dixerit: *Vidi* (inquit) *Dominum super solium excelsum ac elevatum*: Cùm hîc etiam non ex quibuscunq; Angelis, sed ex ipsis Cherubim consti- Isai. 6. Psal 79

constitutus: *Qui sedes* (inquit Psaltes) *super Cherubim*: Ac si eâ esset divini genii excelsitas, is rerum delectus, quòd sola nonnisi eximia quæq; sibi in Thronum deposcat, quidquid humilius est, infra pedes despiciat, attestante scriptura: *Cælum sedes ejus, terra autem scabellum pedum ejus*: Suâ videlicet ad id obsequii dejectione condemnata.

Nec alia quoq; divinioris ipsum latus è proximo stipantis satellitii facies. Nempe id etiam ex ipsis Seraphinis omnium Angelorum antesignanis conscriptum: *Seraphin Stabant*
Isai. 6. *& clamabant Sanctus*: Et his adhuc singulis, *sex alæ* fuerant, non humili utiq; volatui destinatæ. Si autem animalia etiam ad idem admissa obsequium; certe & hæc ipsa non vulgari volatu insignia, utpote alis totidem cum ipsis Seraphinis instructa: *In circuitu throni quatuor animalia habebant alas senas*.

Eoq; pertinet, quod David enuntiat: *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem*: Ubi quanta iterum divini famulitii magnificentia ac sublimitas: Idq; quod inprimis ex puris spiritibus nihil cum inferiore mundo cum terra cum aere habentibus. Jam

ignis

ignis etiam non humile elementum est. Quocunq; ponatur loco; sursum se erigit, sursum assurgit sursumq; tendit, insigni terrenorum & humilium imò mediocrium quoq; contemptu: ut pote qui *nunquam dicit sufficit*: Nec ideo frustra supremo tantopere arrisit Numini, ut ab igne velut prodromo antecedi, ab illo comitari, ab eodem stipari undiq;, in illo ad suæ majestatis pompam ostentari velit: *Ignis* (inquit scriptura), *ante ipsum præcedet*: *Ignis in circuitu ejus*: *In igne Dominus*. Et hoc ipsum est, quo suam erga non dejectioris animi servos suos, propensionem, pretium ac æstimationem testatur: ita ut non alios ad suum latus ac ministerium noverit admittere, quam quos vis pœne ignea effert in sanctitatis sublime.

Quæ cùm ita se habeant: abhinc igitur, eo nostra omnia convertamus studia, ut non vulgari Sanctimoniæ intenti, divinæ in eo complacentiæ & gustui toto conatu serviamus: quo unice delinito, affluentium DEI gratiarum donorumq; necnon eximii in Cælo præmii evadamus participes.

AD-

ADHORTATIO X.

Non parum DEO diſplicere in Religioſo ſublimioris Sanctimoniæ neglectum.

MOTIVUM X.

QUantum ſublimior Sanctitas complacentiæ & guſtui divino arrideat, ſatis perſpeximus. Jam interea noſcendum eſſet, quantam ejuſdem DEI diſplicentiam, nè dicam indignationem & bilem provocet ſublimioris Sanctimoniæ neglectus? Hoc igitur nobis in præſens materia dictionis eſto: ut ſi complacentia divina ad non vulgaris virtutis ſtudium noſmet non ſatis permoverit; ſaltem diſplicentia ab ejus neglectu efficaciter deterreat.

Tanti eſt apud ſæculares quosvis aulicos Principum indignatio, ac vel modica iis exhibita diſplicentia, ut ſi eam incurrere contigerit, id ipſum morte gravius ducant. Hinc pleroſq; legimus necem ſibi conſciviſſe, ex quo alicujus indignationis adverſum ſe, vel leve advertêre indicium. Ideoq; novimus etiam, quæ illi metu offenſionis ejuſdem, in gratiam & guſtum ſuorum magnatum non faciunt, quæ non ſubeunt, quas curas ſollicitudines ac ſtudia non impendunt, quos modos ac induſtrias non adhibent,

hibent, quas vires conatusq́; non exerunt, qua ſe ſedulitate ac circumſpectione ubiq́; non circumagunt, quibus vitæ morum actionumq́; ſpeciminibus, ſeſe in eorum oculis non commendant? idq́; nè illis minimam indignationis ac diſplicentiæ materiam anſamq́; præbeant. Præſertim cùm adeo delicata ſit Principum natura, ut offendatur vel minimis, imò eo etiam ipſo, ſi ſibimet exhibeantur, non ſatis exquiſita. Meminimus utiq́; quidnam incurrerint ſupplicii, illi duo celebres Pharaonis miniſtri: Pincerna videlicet ac præfectus Piſtorum. Idq́; ea nonniſi culpa (atteſtantibus Thalmutistis) quod illi dum calicem Regi porrigeret, muſca involarit in vinum: huic autem pulviſculus aliquis vel lapillus in panem regium irrepſerit; ſeu etiam quod in vino aliquid minus defecati, in pane aliquid parum exacti fuerit inventum ac in menſam illatum.

Nec verò ſupremi etiam Numinis adverſum nos offenſio, minus à nobis penſanda eſſet. Cùm nemo inprimis tantum aut præſtare favoris & gratiæ placatus, aut inferre ſupplicii iratus poſſit. Tum quòd inter alia, ejus quoq́; guſtus adeo delicatus ſit, ut non tan-

tum nostris trabalibus offendatur delictis, sed etiam eximia quæq; ac selectissima sibi deposcat, Juxta illud ad Prophetam: *Si separaveris* Jerem. 15 *pretiosum à vili quasi os meum eris.* Nempe eius naturæ ac teneritudinis os divinum est: ut vilia quæq; atq; vulgaria penitus respuat, sola nonnisi pretiosa & exquisita admittat, suoq; gustui secernat. Atq; inde consequens est: quod si quid illi admoveamus non satis eximium, id tenerrimè sentiat, iustaq; in nos propterea, indignatione exardescat. Cur enim Apocal. 1. *ex ore dominico gladius utraq; parte acutus visus est processisse?* si non ideo quod hic sit illico ad ulciscendum expeditus, quo casu ori eidem aliquid apponeretur vulgarius minusq; dignum. Hinc illud est quod idem DEUS in lege veteri nihil sibi mancum nihil aliqua parte deforme vel debile, nihil habens maculæ offerri iusserit, & quidem sub interminatione gravioris indignationis suæ: vel eo ipso nosmet edocens quàm etiam in ratione virtutis omnia exactissima omnia integerrima omnia perfecta eidem Numini sint à nobis in sacrificium exhibenda. Cùm illud quoq; non aliunde sit, quod munera Abel DEO tantopere fu-

erint accepta, munera autem Caim à divinis reprobata oculis, nec digna aspici: Nempe quod hæc ex obviis *terræ fructibus*, illa *ex primogenitis gregis ex ipsisq́ eorum adipibus* constarent.

Si qui tamen, certè religiosi vel maximè huic indignationi ac displicentiæ divinæ obnoxii, ut pote ii, qui quò maioribus à DEO beneficiis præventi, quò amplioribus ad rectè sancteq́; vivendum instructi auxiliis, tanto etiam magis ad deserviendum divinæ complacentiæ & gustui, eiq́; exquisitissima quæq́; in ratione sanctimoniæ ministranda sunt obstricti. Uti ille, ad quem illud in Apocal: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Ori is divino ac prope cordi (prout quisq́; etiam ex religiosis hominibus) admotus nec tamen dignum DEI palato & gustui sese exhibuit obsonium, ideoq́; tantam in eodem DEO provocans nauseam, ab hoc ipso ore & corde excludi meruit.

Audiamus quidnam per Prophetam DEUS nescio cui sub allegoria quercuũ Basan interminet? *Vlulate* inquit *quercus Basan*. Zach: 11
Verum cur non etiam in alias arbores similis detonat interminatio, cur non in vites & hederas Bacho, Myrtos Veneri sacras? Quidnam

oro delicti in ſolis hiſce quercubus inventum ſit, ob quod ingruente divina in illas vindicta ululare præ miſeria & calamitate jubentur? At facile conjicio : advertoq; non alias hic quercus, Prophetica acclamatione impeti, ſed ſolas quercus Baſan, id eſt quercus in terra & Regione ſummæ ubertatis, qualis erat Regio Baſan optima ſorte conſitas, quercus illas fæcunditate ac favore ſoli admodum proceras, conſpicuas frondoſiſſimas. Decebat ut eo beneficio ipſa malogranata, aut alios Regiâ menſâ dignos fructus proferrent : & ecce nihil ſpeciale, nihil ab aliis diſſimile, nihil non vulgare, nihil ſupra quercus alias, nihil præter glandes ſuibus & porcis natas edidere. Juſtam igitur indignationem, juſtam retulere vindictam. Ut vel hinc pateat, quod non levior quoq; illos Religioſos DEI indignatio maneat : quos cùm DEUS in loco ubertatis inter tot virtutis & Sanctimoniæ adjumenta ac opportunitates conſtituiſſet ; illi interim pro dignis ſua vocatione fructibus, vix glandes DEI palato indignas proferunt.

Non aliter quam illa vinea de qua Iſaiæ 5. Circa hanc cùm Paterfamilias tantum, curæ &

sollicitudinis expendisset, cùm omnia ei fœcundandæ, & fructibus ex ea percipiendis opportuna suppeditasset: *Sepivit* (inquit) *eam & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam & ædificavit turrim in medio eius & torcular extruxit in ea*. Ecce vero post hæc omnia post impensas curas, post elocatos sumptus: dum expectat insignes aliquos, dignos his impendiis botros, ecce inquam nihil supra vulgares sylvisq; nasci solitas uvas & fructus protulit scilicet solas labruscas: *Expectavi*, inquit *ut faceret uvas & fecit labruscas*. Nec mirum quod eam quã refert Propheta, pænam & calamitatem subierit, nempe destructionem sui & conculcationem extremam. Et id ipsum certè metuendum foret, Religiosæ vocationis hominibus; qui post tot impendia & adiumenta spiritualia sæcularibus nihilo meliores, sublimioris sanctimoniæ curâ posthabitâ, vix vulgaria virtutis sectantur.

Meminisse velint illius Evangelicæ ficulneæ, quæ cùm post omnes sibi ab hortulano curas & labores exhibitos, solis foliis onusta, sterilisq; remaneret; illud contra se edictum retulit: *Succide ut quid terram occupat*.

Et

Et ſane ſi hæc intra ſylvas & arbuſta, ita ſe geſ-
ſiſſet vix tantillum contra ſe indignationis accē-
diſſet, imo forſitan facilem obtinuiſſet veniam;
ſed quia intra hortum inter tot circa ſe provi-
dentias & ſolicitudines enutrita talem ſe exhi-
buit, hinc inevitabili ſententiæ eiq; iuſtiſſimæ
ſubjici meruit. Nec aliud quidquam favo-
rabilius, religioſis ſublimioris exactiorisq; ſan-
ctimoniæ contemptoribus ſperandum eſſet.
Utinam & illi in eam non veniant ſententiam:
ſuccide ut quid terram occupat.

Sicut defacto in ſimile quid devenit
celebris illa ex pluribus metallis compoſita, (de
qua iam toties) Babilonica ſtatua: Refertur de
illa, quod ab uno inermi lapide, percuſſa in
pulverem abjerit: & quidem nullum diſcrimen
fuiſſe, inter caput aureum, pectus argenteum
ventrem æreum, pedes ferreos & luteos, ita
ut aurum non in pulverem aureum, argentum
in argenteum, æs in æreum ferrum in ferreum,
lutum in pulverem terræ fuerint diſſipata; *ſed
omnia contrita pariter,* in eandem favillam nul-
la horum omnium metallorum differentia de-
ſierint. Quid vero in eo ipſo cauſæ ac myſte-
rii fuerit? Nempe caput illud ut dixi erat
aureum

aureum , pectus etiam ex argento venter & fæmora ex ære. Decebat ut unum quodq; illorum aliquid non vulgare aliquid supra pedes luteos ageret. Caput aliquid sublimius auroq; dignum cogitaret, pectus aliquid eximium auderet nec vile cor intra se gereret. Manus ad insignia quæq; sese extenderent, nec modica patrarent. Venter difficillima omnia & ardua suaviter absumeret ac concoqueret, femora voluptatem carneam generosiùs contemnerent, pars pedum ferrea quibusvis adversis fortius resisteret. Interim hæc & tanta omnia nihil plus supra pedes egere luteos. Quid igitur mirum? eadem ipsa, nullo ullius habito respectu, pari cum luto involuta ruinæ & exitio. At sæpius graviore etiam supplicio, ignaviam Religiosorum quam sæcularium DEUM plectere consuevisse. Quod cum illi maiore quam seculares rerum divinarum cognitione pollerent, maioribus talentis & auxiliis spiritualibus instructi essent: Nihil tamen excelsius de DEO & pro DEO cogitaverint nihil egerint excellentius, nihil superaverint difficilius, nihil sustinuerint notabilius: ita ut hic maxime locum habeat: *Cui plus datum, plus requiretur ab eo,*

Et

Et hoc plane est quod Daniel: 5. in palatio Regis Balthasaris cum adversus eum scriberetur decretum, soli inermes contra profanum regii hipocausti candelabrum apparuerint digiti: *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Jam cùm Apocal: 1. ad Ecclesiastica ad sacra candelabra esset deventum: & ecce ibi supremus Judex Christus terribili specie cum gladio utraq; parte acuto: *Conversus vidi septem candelabra aurea & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, oculi eius tanquam ignis, et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat.* Certè enim contra quoscunq; utcunq; agitur: secus contra sacras Deoq; dicatas tanto magis religiosas personas in dictis candelabris septem Ecclesias denotantibus adumbratas, si parem tam nobili planeq; aureo suo statui lucem sanctimoniæ non diffundant

An non de iis illud Psalmi; *DEUS stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat;* Ad quos enim peculiarius si non ad illos ea spectat allocutio: *Vos dii estis & filii excelsi omnes.* Quod si tamen iidem ipsi id est religiosi paulò inferiorem ea dignitate

&

& nomine virtutem contineant, o quàm districto DEI manent obnoxii judicio!

Hinc illa apud Prophetam allegorica comminatio: *Dies Domini exercituum super omnes Cedros Libani sublimes, super omnes montes excelsos, super omnem turrim excelsam, super omnem murum munitum, super omnes naves Tharsis.* An non verò illis hìc Cedris ista interminatio? quæ cum proceritate sua eximiis quibusq; usibus ac structuris servire potuissent, vix vulgaribus tectis ac plebeiis sese concessêre tuguriis: cùm in illarum frondibus aquilæ nidificare debuissent, vix nidis passerum aliarumq; ignobilium volucrum patuere. Quanquam Divus Basilius illud etiam culpæ iisdem appingit in Psal: 31. *Appellari* (inquit) *merentur Cedri Libani, quod alienâ submixi altitudine intempestivo gaudio diffunduntur.* Jllis itẽ montibus quos cùm auro ac pretiosis quibusq; abundare decuisset metallis; vix illi plumbo vel ferro intra se dedêre locum. Jllis turribus & muris, qui cum validissimis hostibus sustinendis & propulsandis pares essent, nullos vel modicos sustinuêre insultus intusq; hostem admisere. Jllis navibus quæ cùm opu- Jsai: 2.

lenta deferre valuissent mercimonia vix aliqua levi pretio æstimanda devexere ad portum. Nec ideo iustam indignationem effugêre. Perquam utili nobismet religiosis relicta cautela: ne sublimioris neglectu sanctimoiæ, solis vulgaribus ac mediocribus intenti, solaq; statûs religiosi sublimitate atq; excellentia, subnixi ac tumidi in turpem prolabamur inertiam.

Atq; ita simus solis glandibus abundantes quercus, solarum labruscarum feraces vineæ, solis foliis onustæ ficulneæ, otiosæ nullis egregiis actionibus conspicuæ statuæ, sola proceritate commendatæ Cedri, ad solam speciem erectæ turres, solius plumbi continentes montes, solius vanitatis mercibus instructæ onerariæ: illis non absimiles, de quibus Scriptura: *Transierunt* (inquit) *sicut naves poma portantes*. Imo ne Petro quidem in monte Thabor similes, qui divinioris luce spectaculi circumfusus, & hac sola sorte apprime contentus exclamavit: *Bonum nos hic esse*, ideoq; eam crysim in evangelio meruit: quòd tunc *nesciebat quid diceret*.

Tandem verò illam totius cæli incurramus querelam, quam Diva Mechtildis in sua

extasi

extasi retulit, accusantibus illam Seraphinis ob tepidum ac mediocrem DEI amorem, Cherubinis ob ruditatem scientiæ sanctorum, Apostolis ob exiguam doctrinæ suæ curam, Martyribus ob pusillam fortitudinem, Confessoribus ob virtutum segne exercitium, Virginibus ob defectum maioris puritatis. Et si hæ & tantæ de Sanctissima Virgine querelæ; quas oro contra nos diras, idem Cælum totaq; eius curia effunderet? Quod cùm ita sit, id igitur nobis ab hinc agendum est: Ne vocatio religiosa, ne propria cuiusq; religio, ac etiam ne societas, ne DEUS, cælum & terra, ne ipse infernus & conscientia omnino habeat cuius nos accuset.

ADHORTATIO XI.

Cælestis gloria ac beatitudo non leve ad sublimem sanctimoniam invitamentum. MOTIVUM XI.

Ad sublimioris sanctimoniæ metam nobismet contendentibus, non pauca ut vidimus quæ nos ad eam magis magisq; urgebant, hactenus occurrerunt. Post hæc tamen illud nobis potissimum in hoc sanctitatis tractu præstandum incumbit, quod navigantibus evenire

assolet. Dum enim illi mare enavigant, dum fluctibus & procellis iactantur, dum sexcenta subeunt discrimina: inter hæc in unum illud intenti sunt, ut in cælo ac sideribus constantem oculum figant. Et hoc est quod illos ad portum efficaciter dirigit, quod adversus quosvis pelagi errores tuetur, erigit in tempestatibus & procellis. Nec igitur aliò nobis quoq; nostro in passu, attollendi vultus, dirigendi oculi. Cùm id etiam in præsenti mihi enucleandũ sit, quòd si quid certè attentus cælestis gloriæ ac Beatitudinis respectus, non postremum ad sublimem sanctimoniam motivum & calcar sit.

Quantos ad eximia quæq; stimulos, etiam terrena conferant, non modicâ experientiâ probatum. Hinc tot illi heroici ausus, tot profusi sudores, tot cruenta merita, tot tantæq; ærariis exhaustis impensæ. Jdq; vel ob evanidam nominis gloriam, vel ob sublimiorem aliquam curulem ac magistratum, vel ob quodcunq; præmium temporale. Vt iam illud proclamatum sit: *Nemo gratis bonus.* Cùm etiam iis calcaribus usus ille, qui de semet apud Poetam: *Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires: non venit è facili lecta corona jugo.*

Et

Et si ea apud mortales terrenorum ac evanidorum æstimatio, cuiusnam oro pretii ac ponderis erunt cælestia & æterna? Heu quantus vel hinc nobis rubor esset, si plus pro terrenis quàm pro cælestibus nostra desudaret cura & industria!

Ita omnino eum planè visa habuisse sensum, Quatuor illa Ezechielis animalia. Currui hæc divinæ gloriæ deservierant. Sed quàm eximiis huic sese devovêre obsequiis: ita ut ipsius etiam fulguris prodigiosam pæne hac in parte fuerint imitata naturam: *Ibant* (inquit Sanctus Vates) *in similitudinem fulguris coruscantis*: Totq; aliis apud eundem Prophetam recitatis inclaruerint encomiis. Quid verò illis ad hæc & tanta stimulum attulit? Non aliud forsitan, quàm quòd idem Propheta ibidem adfert: *Super capita* (inquit) *eorum similitudo firmamenti*: Id est continuus de cælestibus cogitatus, eorumq; intuitus. Et hoc ipsum de facto est: quod nobis quoq; stadium virtutis decurrentibus, ad non segnes pro gloria DEI conatus nec non eximia quæque studia invitamēto esse deberet. Nempe attentus arrectusq; semper cælestis firmamenti ac beati-

Ezech. 1.

tudinis respectus. Quem tantopere æstimavit celebris Machabæorum Mater, ut hunc unicũ promotivo ad summa & gravissima quæq; pro DEO & legibus à filiis perferenda, satis esse duxerit, dum singulos allocuta fuisset: *Nate peto ut cælum aspicias.*

Quid verò etiam Sponsæ efficaciter persuasit, ut in culmine honorum & fortunæ velut in Libano collocata, infra, spretis omnibus se demitteret, idq; ad unicam sibi insinuatam vocem; *Veni de Libano?* Nisi hoc idem invitamentum, quo cælestem sibi audiit appromissam coronam: *Veni de Libano coronaberis.* Cant. 4.

Nec aliunde est quod Salomon in suis Canticis, nescio quam animam tot tantisq; splendoribus illustrem exhibuerit, ut de illa cum admiratione exclamarit: *Quæ est quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* Unde verò illi tot tantorumq; splendorum collectio? cùm alibi de illa illud nonnisi edixisset, quod solummodo: *Sicut virgula fumi ex aromatibus*, sese altiùs attolleret? Nimirum hoc ipsum fortassis ad tot luminum possessionem illi profuisse, quod juxta fumi aut incensi naturam sese sub cælum ferret. Cant. 6. Cant. 3.

Cùm

Cùm defacto nihil magis spirituales in nobis splendores propaget & accumulet, quam constans mentis in cælum directio.

Quid verò dicam de innato hominibus æmulandi supraq; alios eminendi, studio? quod quantum apud non deiectioris animi homines, ad insignia quæq; patranda valeat quis nesciat? Quales olim inter alios fuerunt Julius Cæsar ac Pompeius: ut nec ille in publica fama ac magistratibus priorem nec iste parem ferre posset. Qualis item ille: qui toties ingeminare solitus: *Aut Cæsar aut nihil.* Et si hæc & tanta in terreno ambitu, animi excelsitas ac æmulationis studium: Quam longè excelsiorem in nobis animum cælestia ac perennia requirerent?

Et defacto plebeio ortu Apostoli emerserant. Jnterim tamen cùm terrena omnia contemnere didicissent, minime circa cælestia abiecto fuêre animo, ita ut etiam æmulatione quadam supraq; alios eminendi appetitu eò evaserint, ut secum contenderent: *Quisnam maior illorum esset in Regno cælorum?* Neq; in hoc ullam crysin notamq; vitiosi ambitus incurrissent, si in hoc ipso nihil terrenum sapuissent aut, se intra sphæram apostolicæ hac in parte moderationis

onis tenuissent, nec ad rixas contentionesq; processissent mutuas, atq; sic ad vitiosa extrema declinassent. Et in hoc certè ipso clarissimum sui instituti sectatoribus citra præfatum annexum vitium reliquere exemplum, qua & illi excelsitate animi esse debeant, ubi pro cælo eiusq; gloria laborandum est: ita ut illis etiam cordi sit non quæcunq; sed suprema quantumvis in cælo statio. Quæ quia non quibuscunq; sed insignibus admodum comparatur meritis, ideo in horum etiam possessionem mens nostra & studium extendendum. Quanta enim hæc esset deiectio, ac mentis vilitas? modicæ ad instar velle lucere faculæ, cum sol in cælo esse possis: cælestis Curiæ sustinere gregarium, cùm supremi senatûs accolam possis agere: excubare ad limen, cùm throni divini vicinia præsto sit.

Planè id ipsum erat in intuitu viri illius cælestis, cuius Joannes Apoc 6. accuratus spectator fuerat: *Vidi* (inquit) *& ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Verum quid diademati quid coronæ cum arcu cum prælijs? si illi corona cessit? throno insidere, in illoq; conquiescere debuerat, non

tendere arcum non exire ad prælia. Nisi quod excelsioribus animis, non satis esse debeat, qualemcunq; Regni Cælestis adipisci coronam, Hinc & si eandem in manu tenerent, nequaquã eo ipso deberent cõquiescere, sed arcum in altiorem metam tendere, ampliorem q; semper & ampliorem spectare gloriam; eamq; repetitis toties demereri victoriis.

Uti illi Prophetici Seraphim quos solio excelso ac elevato adstantes Propheta videns: *Duo* inquit *Seraphim stabant*; illud insuper addidit: *Duabus alis velabant faciem ejus*, (id est DEI in solio sedentis) *duabus pedes, duabus volabant.* Verum ad quid volatus hic? cum jam ipsi throno divino vicini adstitissent? Nisi quod Seraphicis etiam geniis illud innatum, ut ubi de cælesti gloria agitur, semper altius altiusq; evolare studeant, nec in summo etiam consistant. Isai: 6.

Quanquam ea est ipsius quoq; Cælestis gloriæ ac beatitudinis conditio, ut qualicunq; virtute haud sit contenta, ideoq; quidquid in ea vulgare ac plebeium, id à se omnino proscribat ac respuat. Alia est longè cæli ratio ab ea quàm sibi finxêre ethnici: cùm illud non tantum de astrorum plebe, sed scelerato-

rum etiam fece impleverint; ita ut questus sit non nemo: *Pellices cælum tenent.* Imo satyricus etiam irriserit: *O sanctas gentes! quibus hæc nascuntur in hortis numina.* Jam apud Plinium quanto ludibrio in consessu deorum Bacchos satyros faunosq; Momus habuit? illud edicens: *ut egregii illi prius ex integro homines fierent quam in deos evasissent.*

Lib: 2. c: 65.

Procul à Cælo nostro turba ejusmodi, quod non nisi eximiæ virtuti patet, Uti apud Psaltem non alii portæ patuere cælestes, sed non nisi *Domino virtutum, Regi gloriæ*: virtutum inquam, non unius alicuius virtutis. Neq; hic quidquam plebeium aut vulgare cogites: Ubi Dominum ubi Regem audis.

Bene quatuor Cherubicis animalibus non duæ verum sex alæ adaptatæ. Ut enim aliò quocunq; evoles, duæ sufficiunt, ut ad cælum pertingas, pluribus instructus esto.

Nec verò aliam ætatem præter 24. Seniores Throno DEI assidentem Joannes in sua Apocalypsi vidit: ut vel inde colligas: non quacunq; virtute, ut throno cælesti appropies, sed matura admodum opus esse.

Inde est quod Christus in Evangelio pronuntiaverit : *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Jacob autem Patriarcha non qualemcunq; scalam sed ipsi cælo conterminam qua Angeli ascenderent vidit. Angeli inquam: Angelica namq; virtute scalâq; , cælesti altitudini commensuratâ, ut eo devenias opus est.

Non frustra cælestem civitatem habere *murum altum* dilectus Christo discipulus edixit: Ut scilicet edoceret: non quascunq; , sed plusquam Aquilinas alas id est sublimes admodum virtutes, ad eum transvolandum assumendas esse: uti Propheta : *Assument pennas ut aquilæ, volabunt & non deficient.*

Hùc spectat quod idem Apostolus ac Evangelista eandem Civitatem sponsæ perquã ornatæ, omnibus ornamentis & dotibus conspicuæ assimilat: *Vidi* (inquit) *Civitatem sanctam Jerusalem novam paratam ornatam viro suo.* Quis igitur non tam generis quàm virtutis plebeiæ eius connubium ambiat? Plane simili hic crysi opus esset ; qua olim non in dissimili casu

ufus Pòëta eſt: *Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?*

Jam ſi Civitatis rationem ſub cujus allegoria à Joanne Cælum deſcribitur perſpiciamus: Certè quo nobilior Civitas, eo magis non plebeios accolas poſtulat. Quales olim Romæ Cyneas conſpicatus teſtatusq́;, ſe non tam Cives inibi quam ipſos potius ſpectaſſe Reges. Et ſi tales Roma recenſuit terreſtris: quales nam Jeruſalem requirit cæleſtis?

Si in Evangelio, Regali ejectus triclinio, qui veſte caruerat nuptiali, licet fortè aliam utcunq́; nobilem induerat. Si præterea teſte Polybio Palatium Neronis, quod cœli ipſius ſplendorem videbatur æmulari, ſolemq́; & alios cum cæteris aſtris repræſentare Planetas, inſidente illud ipſomet velut Jove altero Nerone, ſplendida Senatorum ſuorum majeſtate cincto, quiſpiam cum lampade ingreſſus Philoſophus, in hæc prorupit verba: *Luci lucem non addo, ſed pudori duco, me in tanta tum aſtrorum, tum heroum luce primum in obſcuro pallio ſine luce apparere.* Quis oro cuicunq́; cæleſtem aulam cum mediocri virtutis indumento, ac luce ingreſſuro pudor?

Quan-

Quanquam si totam quanta quanta est, cælestem perlustremus Jerusalem, quid ibi non excellens? non sublime? non pretiosum? non nobile non lucidissimum: sive in muris sive in portis, sive in fundamentis sive in plateis sive in quocunq;: Quis igitur non parem illuc quod ad omnia virtutem afferat?

Id certè nobis omnino spectandum est, Id versandum mente; quod Alexandro pugnaturo cum Dario insinuatum: *Macte Alexander pro Regno tibi cum leone pugna*: Ea resolutione utendum, qua Philippus Macedo commonstrata sibi in tabula à Demade Legato Atheniensi urbe usus est: *Ut hæc* (inquit) *mea urbs sit, ferro & auro efficiam*. Simile quid pensandum, quod Abulana Rex Fessæ: qui cùm domum sibi Regiam absolutissimæ dignitatis plenam fabricasset, ejusq; rationes audire cæpisset, jamq; ad 40. aureorum millia devenisset impensa, cætera discerpsit, nec audire vel legere voluit dicens: *Quidquid charum, quamvis carum, si pulchrum, non est carum*: Simili rerum omnium, cui olim Helveti (teste Julio Cæsare in Comment:) rerum suarum, in- *Apud Engelgrave.*

sistendum contemptui, qui occupaturi Gallias terram suam & omnia habitacula absumpserunt incendio. Iis passibus ea via procedendum: *Qua proceres abiere pii*: Proceres inquam virtutis: quorum insistendo vestigiis, illud nobis insinuari intelligamus: *Hac iter est superis.*



PARS

PARS SECUNDA,

ESSENTIALIA
&
PECULIARIA

SANCTIMONIÆ

Non vulgaris

Proponens.

ADHORTATIO I.

Sublimitas Sanctimoniæ in præcelsis cogitationibus Filiorum DEI.

POst expedita tot & tanta ad ſublimiorem Sanctimoniam invitamenta atq; motiva: naturam ejuſdem Sanctimoniæ, in quonam illa conſiſtat, nobiſmet exponendam duximus. Et quia omnia prius in intellectu ac voluntate, quâm ad executionem & praxim externam deveniant, repræſentari ac velut, primam ibi ſtationem tirociniumq; figere novimus; ideo etiam nunc à præcelſis filiorum DEI cogitationibus ſumimus initium: in iisq; inprimis rarioris Sanctimoniæ ſublimitatem non incongruè ſtatuimus.

Abjectioris ſuæq; originis immemoris animi eſt: omnia humilia aut mediocria, nihil ſublime nihil egregium mente verſare. Mens quippe noſtra aliquid divinum refert, adeoq; illud, quo ſupra omnia terrena eminemus, infra nos deſpicimus omnia, ipſis æquamur Angelis. Quis igitur illam ad infima quæq; dejiciat, quis usq; ad terram deprimat? ſi omnipotens Numen, *os homini ſublime dedit cælumq; tueri*

Præcelſæ mentis cogitationes.

juſſit

jussit & erectos ad sidera tollere vultus : Tanto magis non alibi quàm in cælo, imò supra cælum etiam mentem tam nobilem figere, ita ut nihil nisi eximium, nisi sublime, nisi Angelicis mentibus par meditetur.

Tale olim Sponsi Salomonici caput Cant. 5. Quod cùm Sponsa aureum pronuntiasset : *Caput* (inquit) *ejus aurum optimum*: simul etiam non vili crine conspicuum asseruit: *Comæ illius sicut elatæ Palmarum*, Ac inprimis quo ad caput aureum ? unde illi oro tantum pretium ? An non ex eo : quod illud nihil vile, nihil abjectum, nihil vulgare, nihil de luto, ferro, ære, imò etiam argento, sed id solum quod æstimatissimum, quod auro optimo non absimile cogitaverit. Intellectus utiq; capiti insidens cogitando cognoscendo intelligendo fit omnia. Jam de capite tali id est aureo, certe non alios crines succrescere decuit. Per hos autem non aliud quàm cogitationes, conceptusque humanos, usitata Doctorum interpretatione intelligi : eosq; hîc non cuicunq; gramini de terra enascenti, non humilioribus ignobilioribusq; virgultis, non herbis parietinis, sed sublimioribus iisq; victricibus palmis compara-

ri. Ut hinc ſcilicet perſpectum habeamus; qualeſnam mens etiam noſtra caputq; auro nobilius, cogitatus, qualeſve partus, victorioſos utiq; heroicos ac triumphales edere debeat. Ita ut ſi olim de cerebro Jovis, non rana aut vile aliquid, ſed divinior Minerva prodiit: Neq; noſtri quoq; cerebri officina in ſimiles fœtus ſterileſcat.

Quodſi verò pretioſus adeo, auroq; optimo æſtimatus Sponſi vertex: certe non ignobilius etiam Sponſæ caput: *Caput tuum* (inquit Salomon) *ut Carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Ubi quis non advertat, quanta hujus capitis, nempe Carmelo æmula ſublimitas: Sed neque etiam degener comæ excellentia. Etſi per hanc itidem, non poſtremum cogitationum noſtrarum valorem intelligimus, quid oro his etiam ad excellentiam defuturum eſt, ſi parem cum Sponſæ crinibus nanciſcantur dignitatem ac pretium. Et profecto ſi Carmelus interpretum teſtimonio, idem quod Cognitio: certe hac in parte Religioſis capitibus omnigena rerum divinarum DEIq; ipſius cognitione admodum pollentibus, nihil locupletius. Quid

igitur

igitur humile, quid abjectum, quid plebeium, quid non regium, quid regali, purpuræ non agnatum ab illis prodeat? Probrum utiq; non leve esset: si Absalon pulcher ille nequam, tanti ut scriptura testatur sui capitis ponderasset Cæsariem, nec Religiosæ cogitationes ad simile saltem pretium possent ascendere. Probrum, si nostrum etiam religiosum ideoq; illo non ignobilius, ejusmodi sortis incapax caput esset. Si caput Moysis Exod: 34. post quadraginta dierum cum DEO consortium in cornua excreverat: hoc est juxta Abulensem & alios effulserat in radios; idq; in thaumaturgæ indicium sanctitatis, certè ex Religiosis etiam capitibus, præsertim post exactum vitæ religiosæ in continuo pænè cum eodem DEO consortio non exiguum spatium non dissimiles promicare deberent pro sublimioris specimine sanctimoniæ cogitatus. Uti olim vertex Ascanii ignitis in omen Regni arsit radiis.

Si de quopiam alio, de Religiosis maximè illud pronuntiatum: *Vos dii estis & filii excelsi omnes*: Aut quod Apostolus: *Vos genus electum, gens sancta, regale Sacerdotium.* Quis igitur, vilius aliquid suaq; tanta condi-

tione ac origine indignum mente volveret? De DEO utiq; Psaltes: *Cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi*: Tum alio quoq; loco: *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*: Ac si scilicet ponderosi admodum pretii & ad fundum usq; abyssi prægravantis. Hinc convenientissimè suos monebat insignis ille magni spiritûs Asceta P. Balthazar Alvarez: *Nolite degenerare à præcelsis cogitationibus Filiorum DEI.* Quod ipsum ita imbiberat Novitius ejus Franciscus Perez unus è 40. nostræ Societatis Martyribus, ut in ipso cædis articulo identidem repeteret: *Eja Fratres non degenemus à præcelsis, &c.* Nimirum juxta divinum Psaltem: *Gloria Filiæ Regis ab intus*, hoc est ut Græcus legit: *Ex cogitationum excellentia*: Cujus autem Filiæ Regis? Si non animæ Religiosæ eximiis cogitationibus mentem suam internam admodum conspicuè exornantis.

Quanquam inde etiam non levem ipsiusmet DEI promanare glorificationem necesse est, juxta eundem Psaltem: *Reliquiæ* (inquit) *cogitationis diem festum agent tibi*: Septuaginta legunt, *diem festum celebrabunt*: En quales hîc filiorum DEI cogitationes! Non qua-

lescun-

lescunq; scilicet, non primo primæ, non obviæ, sed selectiores illæ & quasi ultimæ distillationis, adeoq; non initia sed reliquiæ cogitationum. Præterea non profanæ aliquæ, non de feria ut ajunt, non ad ullum opus servile directæ, sed multum solennes ac festivæ, eximioq; divino cultui, ac celebritati ex integro dedicatæ, in DEO Solo defixæ: tandemq; ipsius etiam DEI Augustissimo sinu ac intima admissione dignæ, juxta illud scripturæ: *Cogitatus illorum apud Altissimum.*

Præcelsa cordis desideria.

Ne vero hic per præcelsas filiorum DEI cogitationes, solos intellectus nostri conceptus, sed pias etiam affectiones, intentiones eximias, excellentia desideria, ac vota intelligamus; ideo his quoq; sublimitatem Sanctimoniæ, in præsens adstruimus. Juxta id quod Psaltes de quopiam justo pronuntiat: *Ascensiones* (inquit) *disposuit in corde suo*: Quæ autem ascensiones istæ in corde Justi dispositæ? Si non sublimia cordis quorum hic sedes est, desideria, ac elevatæ intentiones, per quas velut per gradus quosdam ad ipsum excellentis Sanctimoniæ scandimus fastigium. Talia inquam desideria quale fuit Davidis illud, quod ad ipsi-

us DEI thronum ipſumq́; ejus conſpectum ſeſe extulit : *Ante te omne deſiderium meum.*

Neſcio an non de hujuscemodi deſideriis Regius Propheta : *Qui ambulat* (inquit) *ſuper*
Pſal. 103. *pennas ventorum* : Deſideria utiq́; & affectus veluti quidam venti ſunt. Qui ut nos in ſublimem provehant Sanctimoniam pennati ſint omnino , non prope terram repant. Sunt quoque iidem affectus pennæ de quibus Vates: *Sanitas* (inquit) *in pennis ejus*. His namq́; ferimur in ſublime, in ſanitatemq́; pariter animæ , ac non humilem ſanctitatem provehimur.

Nimirum voluntas noſtra : *Aquila magnarum alarum* : Hoc eſt ingentium deſiderio-
Eſech. 17. rum eſt , quibus non tantum in Libanum cujuscunq́; ſanctitatis , ſed ultra cælum etiam recta evolat , ut ibi non medullam Cedri , ſed ipſum cor divinum ſibi rapiat. Aut certè medullam, hoc eſt interiora animi per quæ olim B. Aloyſius intus operando magnam adeptus gloriam. Nec ſolum corticem, id eſt ſolam tantummodo extraneam ſanctimoniam. Adeo ſcilicet inſigni ac pænè Thaugmaturgo volatu hæ pennæ , noſtræ voluntatis præditæ ſunt : ut nihil omnino ita difficile , ita ſublime itaq́;

inac-

inaccessum sit, quo illæ eniti non possint. Hinc illud apud viros Spirituales proclamatum gnome: *Velis & potes.* Modò ea eiusdem volitionis sit vis, qua pollebat Brutus, de quo Cicero: *Multum interest, si quid velit: quidquid enim vult, valde vult.* Talibus alis erat cum suo exercitu præditus Magnus Alexander, qui in Sogdiana regione rupem inaccessam, & à triginta armatorum millibus insessam obsidens irrisus ab Arimaze rupis præfecto, rogatusq; : *An Alexander volare possit? Faciam*, ait *proxima nocte, ut credas, Macedones volare:* Atq; ita immissis trecentis fortissimis rupem Magno animo ac virtute occupavit: simulq; suo exemplo, occupaturis inaccessam pariter plerisq; sublimioris Sanctimoniæ arcem præluxit.

Nec dubium quod eo collimaverit ille de quo David: *Accedet homo ad cor altum:* Seu juxta Cæsarium Arelatensem *Ad altitudinem cordis:* Hanc autem nihil aliud esse quam Cor ipsum magnis desideriis & exquisitis intentionibus sublimatum. Quale cor suasit Paulino D. Hieronymus cum diceret: *Noli esse in te mediocris, totum summum, totum perfectum*

desi-

desidera. Et si verò quandoq; ea non liceat desideria explere, saltem id ipsum in pretio, quod tantùm in gratiam DEI volueris! uti de Phäëtonte Pòëta: *Hic situs est Phäëton currus auriga paterni, quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.* Plane id non absimile illi volucri quam Monoceditam appellant, dicuntq; alas illam habere in corde, ideoq; corde volare, & quidem volatu continuo, ex quo nunquam palpitare idem cor cessat, in quo est principium volatûs, etiam in sublime quodcunq;. A plerisque, avis quoq; Paradisi nominatur.

Tale plane fuit cor Seraphicæ Virginis Theressiæ, quæ ut in horis Canonicis legimus: *Christo consulente maximè arduum votum emisit, efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret.* Qualia item vota Patris Jacobi de Saura nostræ Societatis, de quo illa Patris Nadasii: *Vovit* (inquit) *se voluntatem DEI impleturum quàm perfectissimè, nunquam se suam facturum, sed quo ad posset, quidquid in quovis opere majoris perfectionis, magisq; eximium agnosceret.* Insuper sanguine suo sequèntia exaravit: *Ex amore Sanctissimæ Trinitatis, JESV, MARIÆ, & Sanctorum omnium voveo procurare Majo-*

rem

rem perfectionem: Voveo non habere affectum ad rem ullam præter DEUM solum, & procurare ut habeam continuum actum amoris divini. Nec minus ſublimis illa Patris Adami Gorski, apud eundem Patrem Nadaſium reſolutio: *Juro* (inquit) *Domine ac teſtor, quod nihil velim, niſi maximam gloriam Nomini tuo. & maximam confuſionem faciei meæ.* Non recenſeo vota illa inſignia admodum ac heroica Patris Gaſparis Drużbicki: Quæ ſi non licet æmulari multo magis adimplere, ſaltem liceat ad ſimilia generoſius aſpirare. Atq; ſic ſaltem per deſideria ad culmen rarioris conniti Sanctimoniæ.

ADHORTATIO II.

Vana Sanctitatis ſublimitas in ſolis præcelſis cogitationibus ac deſideriis.

NAturam ſublimioris Sanctimoniæ aggreſſi exponere, in præcelſis filiorum DEI cogitationibus ac deſideriis, eandem inprimis conſtituimus. Et certe quid promptius, quid facilius quid expeditius, quàm per cogitationes ac deſideria volare in ſublimè. Ad quod nullo labore, nulla defatigatione, nullis impenſis, nul-

lis etiam pennis opus eſt. Ea verò hujus volatûs conditio, ut nec Aquila ſuarum conniſu alarum eo poſſit pertingere, quo mens voluntasq; noſtra conceptibus affectibusq; ſuis nullo negotio provehitur. Non illam nubium ventorumq; imò fulminum etiam ac immanium tempeſtatum detinent obſtacula, non regionis ardentioris, frigidiorisq; æſtus & algores retardant, non tot millionibus milliarium dimenſi tractus defatigant, non ſexcenta cæleſtium monſtra ferarum deterrent, non ipſi etiam cœli ſolidiſſimi alioquin, (juxta Job) & quaſi ære fuſi viam præcludunt. Ultra terrena omnia, ultra cælum ultra univerſum fertur; ita ut nihil illi invium, nihil inacceſſum ſit, cuncta pateant. Niſi quod hac in parte, quantum facilitatis eſt, tantum etiam vanitatis, ſi ſolis hiſce præceſſis conceptibus affectionibusq; noſtra ſanctitas contenta ſit, iisq; nonniſi ut ita dicam volatibus delectetur. Hoc igitur in præſens mihi urgendum eſt, nè in illis duntaxat, noſtræ ſublimitatem collocemus Sanctimoniæ.

Quanta vanitas ſit ſolis cogitationibus ac deſideriis in DEUM & Sanctimoniam ferri, abunde expreſſit Pſaltes, dum de homine pro-

nuntia-

nuntiavit illud: *In imagine* (inquit) *pertransit homo*: Quæ autem oro hæc imago? Si non illa, quam in mentibus cordibusq; noſtris ſive cogitationis ſive deſiderii depingimus penicillo. O quot hic hujuſcemodi imagines! Non memoro illas quas mundus caro dæmonq; depingit. Has in præſens ſpectare eſt animus, quibus effingendis Apelles virtus & Sanctimonia ſeſe impendit. Videre ibi eſt illam ipſis laudatam gentilibus temperantiam, cataphractam ac imperterritam adversùs omnia, fortitudinem, omni conſpicuam majeſtate omnibus numeris abſolutam Juſtitiam, flagellis omnigenisq; mortificationum inſtrumentis inſtructam pœnitentiam, Seraphicum DEI Amorem. Sed quorſum hæc omnia, ſi in imagine tantum, ſeu ut interpretes legunt, in imaginatione, ſi in mente nonniſi & corde depicta? Si homo religioſus hiſce imaginibus contentus, eximiis virtutum operibus manum non admoveat, atq; ſic vitam otioſe tranſigat ſicq; pertranſeat. Non aliter quàm ſi quiſpiam ſuomet in palatio Scipionum, Fabiorum, Catonum, Emilianorum vultus depictos haberet, nec ipſe, turpi interim deditus inertiæ, ullis ſeſe egregiis faci-

facinoribus accingeret. Plane ego hosce intentionales Apelles ac desiderios illis pictoribus non absimiles judico, quibus depingere in more est perspectivas illas repræsentantes quasi à longè viva palatiorum simulacra, hortos, lucos, sylvas, delubra, excelsas turres, nubes, sydera, ac ipsum etiam patens empyreum. Ecce vero hæc omnia, nihil in re sunt præter imaginem, præter colorem, & picturam, ptæter artificiale oculorum ludibrium. Quanquam & nosmetipsi hac in parte non multum dissimiles sumus illi depicto exercitui armatisq; militibus; qui videntur promptas in hostem manus extendere, vibrare enses, expedire tela, intentare ictus, vultu & oculis vivum spirare Martem, ingentes omni gestu parare ac polliceri victorias; interim, neminem unquam hostium feriunt, nulli ictum infligunt, in eodem situ, manus, enses, ac tela retinent: idq; ideo quia hæc omnia, omnes illi assultus, omnes martiales minæ ac gestus in imagine tantum umbratili, & non in vivo præliari exercitio. Uti irrisit quispiam Lacedæmon Atheniensem, qui cùm præ oculis haberet depictam Atheniensium cum hoste pugnam ac jactabundè exclamaret:

O quam

O quàm fortes Athenienses! Subdidit ille: *sed in tabula.*

Verba Davidis prædicta S. Basilius Theodoretus Cyrillus apud Lorinum legunt: *Adinstar speculi pertransit homo:* Rursus alii: *Adinstar somnii, adinstar umbræ.* Et revera in speculo in primis, quàm multa repræsentari consuevere, quam eximia, quam decora ac venusta quàm præclara. Sed ad quid hæc? ex quo ibi inanes nonnisi, rerum imagines, non res ipsæ. In somnio præterea quanta imaginationum quanta phantasmatum indigesta farrago? Non raro videmur nobis tolli in aera, cum volucribus volare, sub solem ac cælum efferri, imò in cælo ipso figere stationem: & ecce hæc universa nonnisi merum somnii ludibrium ac phantastica imago: Cùm interim terra nos & cubile arcte detineat. Jam & umbra quàm non pauca videtur agere, huc & illuc pogredi, discurrere, orare flectere, manus ad cælum tendere, elevari, crescere. Verum cui hæc & tanta usui? plane huic, cui usui ipsa umbra. Nec vero diversa eorum ratio, apud quos omnia in imaginatione, in intentione, omnia in sola repræsentatione intellectus, in otioso cordis desiderio &

affectu, non in effectu: ita omnino, ſicut in ſpeculo in ſomnio in umbra. Plane talium genuina expreſſio in illa apud veteres ſive Thebis ſive Romæ (de qua Pauſanias & Cauſinus lib. 4. Symbol:) *Statuâ hominis* (ita appellabatur) *aliquid volentis.* Erat forma adoleſcentis marmori incumbentis, ac utraq; manu eidem innixi tanquam ſurgere incipientis, vultuq; & oculis volaturi, interim tamen marmoreo lapidi infixi. Et de hac una ubicunq; collocata legimus: jam quot ſimiles viventes ſtatuas cernimus, imò in nobismet ipſis effingimus. Non abſimiles in eo ipſo teſtudini quoque ac limaci, caput ex ſua concha toties oſtentanti ac ſi de eadem egreſſuro, nec tamen egredienti unquam.

Hujus etiam farinæ ſive ſeculares ſive Religioſos S. Judas Apoſtolus in ſua Epiſtola appellat *Nubes ſinè aqua, arbores autumnales infructuoſas, fluctus feri maris deſpumantes confuſiones ſuas, ſidera errantia:* Seu ut aliqui interpretantur: *Stellas cadentes, exhalationes, ignes fatuos.* Et ita videmus inprimis, nubes infra cœlum congeri, in immenſum intumeſcere, denſari, ſolem ac cœlum contegere: Ingens ubiq; ſpes pluviæ: Interim dum integri

tor-

torrentes de cœlo ſimul ruituri ſperantur, nè gutta quidem in agros ſitientes defluit. De aliquibus etiam in Palæſtina arboribus, refert Salmeron, quod in decurſu autumni eximiè floreant. Ignarus climatis quispiam, copioſos inde expectaret fructus; & ecce hic etiam tota ſpes in herba. Idem de fluctibus marinis cogita: qui dum in altum intumeſcunt, dum ultra nubes, aſſurgunt, diceres in cœlum usq; ſeſe illaturos; Ecce vix quieſcente paululum vento, & ipſi in ſinum maris redeunt. Quid dicam de illis exhalationibus? quæ dum accenduntur in aere, ſeq; in ſupremam usq; regionem porrigunt, putares facile inſigniſſimos planetas ſuo ſuperaturas ſplendore ipſumq; accenſuras orbem, aut certe copioſis in eum exundaturas influentiis: Sed quia & hæ nullâ ſolidâ materiâ conſtant; ideo nullus ex iis cœlo nullus telluri proventus: nec iis ipſis ſtabilis ac diuturna in aere conſiſtentia. Atq; eadem defacto humanarum cogitationum ac deſideriorum conditio. O quantum ſcilicet & hîc inane! ô quantum & hæc de ſe pollicentur, quàm in ſublime ſeſe proferunt: Sed quia in his etiam nihil ſolidum nihil reale; ideo ſimili fato cum nebulis, cum

marinis fluctibus cum autumnalibus arborum floribus cum exhalationibus nullo aut pauco admodum fructu & solatio vanescunt. Quid dico fructu? imò sæpè ingenti nostro dedecore ac spirituali detrimento, juxta illud: *Desideria occiduntpigrum*: Dum enim suis quisq; desideriis contentus, manum iis exequendis non admovet, ac si ullis operosis adversus mundum carnem infernumq; assultibus opus non esset, ipse se in extremam præcipitat inopiam ac rerum spiritualium meritorumq; jacturam, ita ut hic illud ipsum verificetur quandoq;: nempe *Infernum plenum esse bona voluntate & bonis propositis*: Talia nimirum desideria, Icariæ pennæ sunt, quæ nos locò cælestis Patriæ in baratrum damnationis non raro devolvunt. Sunt quoq; instar Æsopicæ turris in àére absq; calce & lateribus fabricandæ, nec perficiendæ unquam, soli elusioni perquam idoneæ. Qualiter Deum eludere piaculum est imò crimen immane perditioni eludentis obnoxium.

Unde etiam illa celebris Regi Babilonio per somnium exhibita statua, non alia forsitan de causa corruit: nisi quod in solum caput & pectus, hoc est in cogitationum ac desiderio-

rum

rum officinam, totum quidquid pretiosissimi in eâ fuerat expensum abierit; nihilq́; simile in executrices potentias ac membra remanserit. *Caput* (inquit) *aureum pectus argenteum*: Reliqua de ære nonnisi ferroq́; ac luto.

Ideò non inconvenienter Sponsa ad Sponsum in Canticis: *Surgamus ad vineas videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Nam & Deus ipse sponsus animarum nostrarum parum foliis seu floribus desideriorum nostrorum afficitur si fructibus rerum desideratarum careant: Nec iis fructibus, quibus affabre & ut aiunt ad vivum depictis, illuserat apud Plinium convolantibus volucribus Parrhasius. Hinc scimus, quod nam in Evangelio maledictum incurrerit ficulnea, in qua Christus fructum non invenit: *Nisi folia tantùm.*

Quæ cùm ita se habeant: quisnam amplius hujuscemodi pennis in sublime enitatur Sanctimoniæ: quis hisce imaginibus ac speculis delectetur, quis hisce somniis fidat, illisq́; se ludi permittat, quis umbras hasce inanes, ludicrè persequatur ac ipsis colludat: quis spem aliquam Sanctioris messis in his nubeculis sterilibus collocet, quem hi flores autumnales

aut quicunquè alii recreent, quis iisdem despumantis animi sese committat fluctibus, quis eas intellectus cordisq; humani exhalationes tantopere æstimet, & pro genuinis reputet sideribus? Quis solum caput præcelsis cogitationibus deauret, pectus eximiis desideriis deargentet? Quis cerebrum in solos conceptus cor in desideria & affectus eliquet? nisi sponte sua extremè decipi velit, ac pro sublimi sanctitatis, præmiiq; æterni fastigio, misere perpeti *Icariæ sonitum ruinæ.*

ADHORTATIO III.

Excellentia Sanctimoniæ ab eximiis operibus.

CUm vanitatem Sanctimoniæ in solis præcelsis cogitationibus ac desideriis immediatè ostendimus; non ideo eorum pretio ac æstimationi in omni sensu detraximus. Novimus utiq; ac supra satis exposuimus, quanti hæc valoris, quanti meriti sint: quantumve cordi & gustui divino oblectamenti adferant. In eo verò nonnisi crysim haud effugiunt, cùm absq; ullo operum consortio, totam sibi sanctimo-

ctimoniæ plenitudinem vendicant. Illud igitur mihi in præsens exhibendum erit: sublimitatem nostræ Religiosæ virtutis in eximiis operibus potissimum consistere.

Magna fateor (ut jam innui) præcelsarum cogitationum vis est, magna excellentia: sed tunc cùm aut eximiis actionbus sociantur, aut si harum copia desit, saltem vicem earum suppleant, eædem præcelsæ cogitationes ac desideria; Et in eo sanè nostræ sanctitatis genuina sita est sublimitas: ut si insignium facinorum campus & facultas adsit, solis hisce otiosis conceptibus ac volatilibus affectibus, nequaquam contenti simus: Sed simul menti & cordi sublimia meditantibus, manus etiam rerum magnarum effectrices, atq; non plebeia opera adjungamus.

Cogitationibus ac desideriis opera adjungenda.

Exemplar ac Prototypon hujus ipsius præsto est in illa visione Amos 7. *Ecce Dominus stans super murum & in manu ejus trulla Cæmentarii.* Sed quid trullæ Cæmentarii, cum Dominicis manibus? scimus utiq; gloriosam Principum aliarumq; magnarum mentium dotem esse, non diruere, non vastare, non usq; ad pulverem deprimere, sed imò fastidire rui-

nas, in altum exſtruere, augere, ſurſum elevare omnia. Cur tamen in ea manu, non potius Libella perpendiculum, linea, funiculus, arundo, circinus, & alia hujuscemodi? Nempe murus hic, & prælaltus quidem exſtruitur. Quis vero ſolo circino, ſolis Circini in omnes partes circumducti delineationibus & notis, ſolâ libella vel perpendiculo murum è fundamentis vellet educere, itaq; totam molem abſolvere? Trullâ hîc ſedulaq; manuum applicatione ac labore opus eſt. Præterea quis ille celebris architectus eſſet, qui venuſtas nonniſi & magnificas, Templorum, palatiorum Turrium, delineationes in charta vel tabula exhibere, icones & figuras depingere noſſet, nec ullum unquam opus extra paginam, & imaginem, ullum templum vel palatium vel tugurium etiam exſtrueret. Et ſi hic talis architectus, non tam laudandus quàm ridendus eſſet: tanto magis Religioſus ille, qui ſtructurâ virtutis & Sanctimoniæ in mente & corde exquiſitis cogitationibus ac deſideriis, quaſi circino vel penicillo toties ad amuſſim delineatâ & depictâ contentus foret, iſtisq; talibus delineationibus, ac imaginibus delectaretur, nec unquam ullis virtu-

virtutum operibus manum apponeret. Ut quid enim nostra Sanctimonia & virtus sive in scripturis, sive apud Doctores & Ascetas nomine Fabricæ ac ædificii spiritualis, nomine Civitatis, domus vel turris toties denotatur? nisi quod sicut in construendis quibuscunq; ædificiis ac structuris solæ delineationes solæ Architectoricæ imagines ac figuræ, imò etiam libellæ funiculi parum conferunt, ni trulla Cæmentarii, ni lateres & cæmentum, ni manus operi admoveantur. Ita quoq; in educendo spirituali ædificio, egregiæ cogitationes atq; excelsa desideria non multum conducerent, si opera virtutum deessent. Hinc ipse etiam Dominus cum trulla Cæmentarii à Propheta conspectus. Ipsius scilicet supremi Numinis rerumq; omnium perfectissimi artificis est, non tantum celsissimis cogitationibus, divinam mentem implere, sed celebratissimis quoq; in totam æternitatem operibus, suam omnipotentiam testari, dignasq; suo genio suisq; manibus fabricas & moles sub cælum usq; attollere.

Nec aliunde fortassis est: quod cùm Propheta quatuor illa non ignota animalia satis descripsisset, cum illis vigiles circumquaq; oculos, Ezech: 1. v. 8

los, cùm senas præterea alas adaptasset; cum alis illico manuum etiam expressè meminit: *Manus* (inquit) *hominis sub pennis eorum*: Ubi si per alas desideria & affectus, communi Doctorum ascetarumq; sensu intelligimus, clarum ac evidens est, eadem ipsa, manuum seu operum sociali indigere fœdere & consortio. Hinc non homini vel vitulo tantum animalibus ad operandum à natura ordinatis, sed Leoni etiam & Aquilæ liberioribus alioquin, otioq; innutritis animantibus operatrices adaptatæ manus; nè scilicet his quoq; volare nonnisi aut discurrere per sublimia, & non etiam operosis insudare actionibus liceret.

Nec dubium quod neq; illi Angeli quos Jacob Patriarcha, vidit per scalam ad cælum usq; erectam ascendentes, alis caruerint. Et si hæ defuissent, puri utiq; spiritus erant, adeoque omnibus pennigeris volucribus perniciores: Cur igitur sine scalæ adminiculo non evolarunt in sublime? Nempe ad cælum non volare tantum id est per sanctiora desideria ferri, sed etiam scalæ inniti, singulis ejus gradibus, id est distinctis seorsim virtutibus, earumq; operibus insistere, hæc eadem quasi manibus laboriosè prensa-

prensare necesse est. Hinc etiam de Angelis Psaltes: *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus potentes virtute qui facitis verbum ejus.* En ille solum virtute potens, cui manus ad faciendum verbum DEI id est ejus exequenda imperia expeditæ. Quanquam de ipso etiam Christo Evangelium *quod erat potens opere & sermone.* Ac si de ratione potentis & absolutæ nec otiosæ virtutis essent, non cogitationes & verba sed operosa efficacia.

Non frustra Sponsa Canticorum 2 sui Sponsi erga se liberalitatem deprædicat: *Introduxit me in Cellam vinariam ordinavit in me charitatem.* Aliqui legunt: *Erudivit manus meas charitate.* Alii: *Exercitum vexillatum instruxit.* Certè enim parum est ardentioribus charitatis affectibus erga Deum Sponsum animarum nostrarum fervere, nisi eandem manibus quoq; ac ipso exhibeamus effectu testemurque. Quid verò vexilla quid exercitus sine operatione bellica absq; manu?

Idemq; omnino visus alibi desiderasse Sponsus ab eadem Sponsa cùm diceret: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ubi scilicet solita- Cant. 8.

rio

rio corde affectuum utiq; officina ipsisq; cordialibus affectibus non satis contentus, brachium insuper manusq; operis artifices depoposcit. Hinc rectè Evangelicus Adolescens illo interrogatorio ad Christum usus: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Faciendo inquam non cogitando desiderando vel loquendo tantum.

Eaq; opera eximia. Quod verò hîc non quibuscunq; sed eximiis omnino operibus nostra sanctitas contenta esse debeat: ex his ipsis, quæ diximus hactenus, dilucidè deducamus.

Ac inprimis non infra sed supra murum cum trulla Cæmentarii quempiam cum Propheta subsistentem vidimus. Parum videlicet illi fuerat fundamenta posuisse, parum ultra terram murum eduxisse utcunq;, altius omnino ultra mediocritatem promovendus fuerat: in perfectam fabricæ molem ac sublimitatem erigendus.

Et hæc defacto est ipsius DEI summa æquè ac infima operantis conditio: Hinc in ejus manibus non aliquas minores faculas, sed ipsos Principes Planetas Joannes se vidisse testatus est: *Et habebat* (inquit) *in dextera sua*

Apoc. 1.

stellas

ſtellas ſeptem. Quis enim defacto ſummus rerum creator eſſet? cui minutiores nonniſi creaturæ, muſcæ v. g. & culices, & non Elephanti ſuam deberent exiſtentiam. Quis ille etiam præter DEUM Sol? qui ſolas nonniſi ranas, ac vile vermium vulgus pareret. Quis ille nobilis Architectus, qui ſola ſtrueret tuguriola. Quis ille aurifaber? qui ſolis votivis tabellis fabricandis inſiſteret. Quis faber ferrarius, qui ſolis claviculis cudendis operam inſumeret? Quis demum artis ſartoriæ peritus? qui ſola panni fruſtula, ſolas aſſueret lacinias. Scimus irriſum ab antiquitate Domitianum, quod ſolas imbelles muſcas telis configendo de illis triumphum ageret. Jam è contra celebratum Philippum Macedonem, quod puer adhuc non humile quidquam ſed deſilientes de nocte ſtellas ſagittis impeteret, ex quo Diogenetus Vates conjecit: *Eum dominaturum multis.* Et certè cui plebeia virtute non contento in animo eſt, ſupremum Sanctimoniæ obtinere dominatum, illi quoq; videndum eſt, nè ad quidquam humile abjectiore genio manum expediat ſeq; dejiciat. Uti de Magno Alexandro: quod mundi occupaturus imperium non quidquam

Ptolomeus Hph. & ex eo Cauſin: lib. 4. Parabol: Hiſtor: cap. 56.

mediocre ſed una manu Orientem altera Occidentem prenſaverit, diſperſeritq́; cum ſole manus.

Jam qua de cauſa manibus quatuor animalium apud Eſechielem ut ſupra meminimus adaptatæ pennæ: *Manus* (inquit) *eorum ſub pennis*? Niſi ut illæ, pennatæ utiq́; ac proinde humilioribus actionibus non contentæ ad ſublimiora opera evolarent. Cùm etiam juxta Plutarchum *penſanda ſint opera non opuſcula.*

Scala etiam Angelis aſcendentibus, porrigentibus ſeſe ad cœlum ipſum gradibus erecta: ut illos in inferioribus ſubſiſtere puderet, ad ſuperiora non pigeret aſpirare: ex quo præſertim iidem ipſi tot ſublimiores in oculis conſtituti gradus, non deſides manus, ut ſe quantocyus arriperent, pedesq́; ultro invitabant.

Huc conſulto in Cella vinaria à Sponſo eruditæ Sponſæ manus: ut nimirum ſatis ſcirent ac noſſent, quibusnam ſeſe actionibus impenderent, nec ſe ſtulto delectu ad vilia & plebeia demitterent: Multo magis illa adinſtar vexillati manibus tamen mutilati exercitûs eſſet: Ubi certè *ferro res eget, & manu & magnis animis.* Quanquam & illud penſandum: Quis

Quis ultra foret ille exercitus? qui cùm maximis quibusq; par esset operandis adminuta aliqua atq; ludicra procederet. Uti Nero qui cùm se ad ingentem pugnam prope littus maris simulasset ordinare exercitum, subito ad colligendas in hoc ipso littorè conchas cum eodem exercitu prorupit.

Tandem etiam non manus non palmæ, non digiti sed brachium ab eodem Sponso pro signaculo deposcitur. Digitos videlicet, rebus ac operibus minusculis, manus & palmas adhibemus mediocribus. Jam brachiis totaq; consequenter manu, ad nòn modica, nec lèvia uti cònsuevimus. Quod ipsummet Ennodius S. Epiphanio in vita ipsius attribuit : dum illum *virum in opere immensum nominat.*

Illud autem insuper de sponso in Canticis: *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Ubi nihil omnino vulgare nihilq; vile in manibus. Et quia à plerisq; legitur: *Manus ejus circuli aurei :* Figura vero sphærica præ aliis capacior ; quis igitur hîc minutum quidpiam aut ignobile depositum, seu inde proditurum autumaret? Uti etiam David catalogum virorum suorum illustrium 2. Regum 23.

texendo, quempiam *virum fortiſſimum magnorumq́; operum* nominavit. Uti quoq́; ea Spartani juvenis indoles magnis ſcilicet nonniſi rebus innutrita fuerat, ut mortem potius illiſo parieti capite prælegerit, quàm ad inferius ſua conditione obſequium manum apponere. Exclamante etiam apud Senecam in ſimili caſu quopiam: *Ad majora natus ſum.* Neq; vero aliæ pro aſſecutione ſublimioris Sanctimoniæ laborantes, ſed omnino magnarum actionum capaces ac operatrices manus ſunto. Planeq́; manus Giganteæ, qui ut cœlum conſcenderent non minores terræ glebas ſed montes ipſos grandiſſimos prenſantes manibus, imponentesq́; Pelion Oſſæ, ſuis pedibus adſternebant.

Id igitur ipſum nobismet ipſis præſtandum omnino: nec ſolis cogitationibus ac deſideriis, ſed totis etiam manibus pedibusq́; iisq́; pennatis quales olim Mercurio fuerant, in ſublimitatem Sanctimoniæ non tantum enitendum quomodocunq́;, ſed etiam altius altiusq́; volandum: Id eſt eximiis pro gloria DEI pro animarum noſtraq́; ſalute inſudandum operibus: uti idipſum Cardinalis Ludoviſius inſignis Socieṫa-

cietatis nostræ amicus ore suo professus est : *Minimam se dicit Societas cùm maxima agat pro gloria DEI.* Id proinde agamus, & sic in omnibus uni eidem DEI gloriæ militemus, cum Ecclesia Orando : *DEVS in te sperantium fortitudo adesto propitius invocationibus nostris : & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas : præsta auxilium gratiæ tuæ ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus.*

ADHORTATIO IV.

Excellentia Sanctimoniæ in ordinariis & communibus non ordinariè nec communiter obeundis.

EXcellentiam Sanctimoniæ in sublimibus & eximiis operibus collocavimus. Sed nè desperationem potius, quam alacres animos ea nobis pariat sublimitas ; aliquantum de hoc ipso sanctitatis rigore tantisper remittimus : ita ut illam ordinariis etiam & communibus, non invitè concedamus. Hoc itaq; præsentis nostræ dictionis argumentum esto : Excellentiam religiosæ virtutis, non in solis admodum eximiis ac selectissimis quibusq; actionibus, sed in ordina-

dinariis etiam & communibus, modo non ordinariè nec communiter obeundis consistere.

Fallitur quisquis existimat in sublime per sola sublimia ascensum esse. Velimus hic meminisse, scalæ Jacob à terra in cælum usq; porrectæ. Hæc utiq; innumeris iisq; non summis tantum sed mediis etiam inferioribus ac infimis gradibus constabat, per quos ad ipsa cæli Augustalia enitendum foret. Nec aliter sublimis ille thronus Salomonis ad quem per sex gradus ascensus fuerat summos pariter inferiores ac infimos. Imò quidquid in orbe sublime exstat, semper ad illud iter est per declive. Sic in augusta palatia, sic in excelsas turres, sic in præalta montium juga, sic in ipsa scandendum astra.

Sive itaq; scalam ad cælum erectam, sive Olympum cælo conterminum, Sanctimoniam cogites, non solis illam sublimibus actionibus constare, non per sola eximia opera viam ad illam ducere agnoscas necesse est. Quodsi eandem ædificium quodpiam spirituale cogitaveris? & hic tibi facile occurret: Augustissima quæq; ædificia non solo rerum excellentium delectu, sed pluribus etiam ignobilioribus partibus,

tibus, ac mediocri materia componi. Nisi quod ibi infima summis, inferiora sublimibus, nobiliora vilioribus admodum eximiè, admodum concinne adaptentur, sibiq; invicem conveniant, insigni rerum omnium vilissimarum etiam coordinatione & cultura. Et in hoc ipso defacto nostræ quoq; sanctitatis, consistit ratio ac simmetria: ut scilicet extraordinariis ordinaria, singularibus communia, gratâ permistione copulentur.

Plane adinstar Reginæ illius, cujus ornatum de scribit Psaltes: *Astitit Regina investitu deaurato circumdata varietate.* Ubi videlicet non omnia aurum, sed ob gratam ubiq; varietatem, aliquid etiam minus pretiosi metalli ac ornamenti permistum erat. Hinc Sponsus quoq; ad Sponsam: *Murenulas* (inquit) *aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Atq; hic etiam nequaquam totum de auro, sed argentum quoq; minoresq; vermiculi in partem ornamenti assumpti. Nec alius virtutis & Sanctimoniæ ornatus: isq; non de eximiis tantum, sed ordinariis etiam & communibus. Ita tamen ut in his non ordinaria eluceat cultura ac diligentia. Uti defacto in ipsis supradictæ Davidicæ Regi- *Psal. 44.*

Reginæ fimbriis ſpectare licuit: quæ etſi poſtremam veſtimenti rationem habeant: quia tamen ibi tum auro tum arte exquiſitâ nituere: *In fimbriis* (inquit) *aureis circumamicta varietatibus* : Ideo non vulgare toti illi amictui ac ipſimet Reginæ præſtitere decus.

Cùm multa præterea novimus in quibus non materia ſed ars induſtria & labor penſatur. Nec illos æſtimamus artifices, qui ex auro nonniſi ſua opera norunt effingere: Sed illos etiam qui ex viliori licet & obvia materia, non obvia conficiunt, atq; ita ſe orbi ac poſteritati inſinuant. Qualia fuere opera Apellis, Zeuxis, Mironis, Praxitelis, Phidiæ, quæ non ſemper materiæ nobilitas ſed ars commendabat. Unde illis, illud Pòëtæ quadrare poſſet: *Materiã ſuperabat opus.* Quale etiam Cælum Archimedis & Coſrois ex ſublunari licet materia ad æmulationem ipſius Jovis ſeu potius Creatoris DEI effictum. Hinc idem apud Claudianum

Jupiter, in parvo cùm cerneret æthera mundo

In eam admirationem ac verba prorupit:

Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor?

Atq;

Atq; ideo ſimile quid de cultoribus Sanctimoniæ cenſendum eſt: ſi ſcilicet per quascunq; etiam actiones parem ipſi cælo eandem Sanctimoniam conentur effingere.

Eluxit id ipſum in illa viſione ac ſpectaculo Principi Apoſtolorum Act: 10. repræſentato: *Vidit deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ & volatilia cæli?* Cùmque circa eam viſionem quorſum ſpectaret dubitat: ecce omnia ſine diſcrimine jubetur occidere & abſumere: *Occide* (inquit) *& manduca.* Et cùm adhuc reponeret: *Abſit Domine quia nunquam manducavi, omne commune & immundum:* Advertite quidnam reſponſi retulerit? *Quod DEVS purificavit, tu commune ne dixeris.* Nempe non ſola ibi fuere volatilia cæli, non ſolæ in ſublime volantes Aquilæ, non ſolæ raritate ac ſapore celeberrimæ volucres: non ſoli magnitudine ac fortitudine conſpicui Elephanti leonesq;, ſed humi etiam reptantes vermiculi ac ſerpentes. Hæc tamen etſi alioquin communia & vulgaria, nequaquam amplius talia dici meruere, poſtquam acceſſu divinæ purificationis ſuum accepere nitorem & pre-

Actor. 10.

tium. Idq; ipſum de noſtris quibusvis intelligendnm operibus : videlicet & hæc, tunc communia ac ordinaria eſſe deſinere: ſi divinior eorum cultura atq; extraordinaria ab omnibus imperfectionibus nævisq; depuratio ſubierit.

Hac fortaſſis de cauſâ Juſtos in ſcripturâ ſoli comparatos legimus: *Fulgebunt juſti ſicut ſol.* Solis quippe eſt ſublimia decurrere, in ortum ac meridiem eluctari. Nec tamen, tunc ille ſe ipſo minor, minusq; agens, dum ſe inferius ad occaſum inclinat, dum ſe ad antipodas præcipitat. Præterea dum ſigna Zodiaci percurrit, dum in Leone in Libra in Arcitenente aliisq; celebrioribus ſignis hoſpitatur, non eo ipſo nobilior, illuſtrior, activior, quàm dum in Cancro aut in geminis ſubſiſtit. Ubique videlicet ſuæ retinens naturæ ac ſplendoris eſt: ubiq; & circa omnia eadem virtute, eadem activitate, eadem luce verſatur, ſeque commendat: ubiq; ſui ſimilis, ſive aurum in montibus, ſive ferrum & vilius quodpiam metallum pariat: ſive ranas in paludibus, aliaque inſecta alibi, ſive nobiliora viventia ſuper terram vel aera progeneret. Nec verò alia in

cursu Sanctimoniæ ratio : ubi non illud spectandum, quidnam agatur, sed quomodo agendum sit, neq; illud ut semper eximia agamus, sed ut perquam eximiè.

Non dissimili ratione, sicut de summo rerum omnium principio, deq; omnibus ab eo creatis in Genesi prolatum est: *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* En quanta omnium rerum creatarum excellentia. Et tamen non solæ tunc erant recens creatæ cælestes machinæ, non sola illimi splendore nitentia cæli luminaria: In mundo etiam inferiore, non sola excellentiora animantia: non solæ proceræ ac fructiferæ arbores, flores multiplici pulchritudine coloreq; conspicui, sed simul viliora quæq; ac imperfectiora viventia, ignobiliores arbusculæ, plebeiæ herbæ & gramina. Unde itaq; tanta illis commendatio: unde cum supremis coæquatio creaturis, ita ut non simpliciter non qualitercunq;, sed valde hoc est extraordinarie bona dicerentur? Quidnam illis eam contulit dignationem tamq; laudatam bonitatem? Non aliud certè quàm ipsa omnimode exacta, omnibus numeris absoluta perfectissima, æqualis tam circa maxima quam

circa minima divina operatio: per quam omnia quæcunq; cum omni ſibi debita perfectione naturali creata.

Quod ipſum ſolidiſſime confirmat Pſaltes dum exclamat: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus.* Sed omnianè magna tantopere DEI opera? Quid enim magnitudinis in formicis, apibus, vermiculis aliisque ejuſdem generis? Vel ideo ſcilicet in ſua quantumvis parvitate, magna omnia, quia exquiſita, hoc eſt, exquiſitiſſimâ DEI circa ſe operatione nobilitata inſigniter.

Hinc ultra adverte: quod ibidem in Geneſi, cùm DEUS creando hanc univerſi machinam, ante ſingulorum creationem ediceret: *Fiat* hoc vel hoc v.g. *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria, &c.* Poſt creationem illorum, præter lucem non ſubintulit de iisdem: Factum eſt hoc & illud, v.g. facta ſunt luminaria &c. ſed: *Factum eſt ita.* Nempe in rebus creatis minimè penſandum, quidnam promanaverit ab Omnipotentia divina, ſive id magnum ſive mediocre ſive minimum ac viliſſimum: ſed: quomodo aliquid factum? ita ſcilicet, eo modo, quo circa excellentiſſimas quascunq; creaturas labo-

laboratum, quo DEUS ipse illud fieri voluit, quo ideæ in DEO contentæ ad amussim satisfactum.

Quod ipsummet visum in formatione etiam Adami *de limo terræ.* Quid enim limo vilius & abjectius? Quia tamen huic se non vulgariter divinæ applicuere manus: ideo non vulgare quoq; opus, DEI spectatissimum imagine consurrexit: id ipsum commonstrante Tertulliano: *Recogita* (inquit) *DEUM totum ibi occupatum ac deditum.*

Quid verò trullâ Cæmentarii ignobilius? Ecce tamen hanc ipsam suismet tractasse Deum manibus describit Vates: *Dominus* (inquit) *supra murum, trulla Cæmentarii in manu ejus.* Apud alios legitur: *In manu ejus Adamas.* Sic ergo trulla ignobilis in DEI dextera in pretiosum adamantem transiit, ab ipsius manibus & operatione pretium & nobilitatem traxit.

Nec aliunde est quod ipsemet Christus in Evangelio de Joanne Baptista pronuntiavit: *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista!* Sed quid illum eousq; extulit, ut ita supra omnes homines censeretur? numquidpiam supra alios quoscunq; gessisse visus? In-

coluit ille eremum? fecêre id ipſum, & pluribus quidem annorum ſpatiis, illi Antonii, Arſenii, Hilariones, & reliqui. Arctam ſervavit à cibis omnibus abſtinentiam? Et hoc illi cum tot aliis commune. Dirè non molliter ſuum licet innocuum tractavit corpus? plures eodem modo cum ſua carne proceſſere. Prædicavit Chriſtum Meſſiam? Neq; huic eidem tot viri Apoſtolici defuere officio. Baptiſavit in Jordane non paucos? certè non paucioribus alii Chriſtianum contulere Baptiſmum: Redarguit liberrimè Herodem? Tot alii ſimiles veridici cordatiq; prædicatores inventi ſunt. Gladio à lictore per Herodiadem immiſſo percuſſus? Innumeros illi hac in parte Martyres, ſexus utriusq; oppones. Quid igitur illum tantopere effecit ſingularem? Non aliud omnino, quàm ea ipſa, quæ cum aliis alioquin communia, inſigni ſua operatione modoq; agendi fecerat extraordinaria. *Quia* (inquit Algerus) *etſi plures laboraverint diutiùs, nemo tamen ferventiùs illo & puriùs*, Ex hoc fortaſſis fundamento laborantibus in vinea per unam horam, idem præmium cum iis, qui tota die laborarunt collatum. Idq; ex eo, quod licet nihil ſupra alios, imò

imò minus aliis egiſſent, majori tamen & exactiori conatu id totum egêre. Par & illius ratio, quod Sauli ac Davidi fuerat acclamatum: *Percuſſit Saul mille & David decem millia.* Cum tamen hic unum nonniſi Philiſtæum lapide è funda ejecto ſtraviſſet. Nimirum actus hic Davidis unicus tanti conatûs tantiq; ausûs, & conſequenter tantæ æſtimabilitatis fuerat, ut magnæ ad inſtar victoriæ computari meruerit. Eo inde documento: Spirituales etiam, ordinarias licet minoresq; victorias, in cenſum magnorum triumphorum non rarò abire, ſi extraordinariis reſolutionibus & conatibus ſublimentur. 1. Reg: 18.

Quid verò ille uterq; lapis? quorum unus in fronte percuſſit Philiſtæum alter Statuam in pedibus. Cùmq; hic ipſe creviſſet illico in montem magnum ac impleſſet univerſam terram, ille in ſua relictus eſt parvitate, etſi plus notabiliter præ alio egiſſe viſus. Cùm enim Propheticus, mutam, inermem inanimemq; ſtatuam, & quidem ad pedes dejectus contriviſſet: lapis Davidicus ſtaturâ procerum, bellacem, cataphractum Gigantem poſtravit, ipſumq, caput feriit. Quid igitur à Danielis la-

pide tantopere patratum singulare, atq; illum in eam promovit magnitudinem, ut in portentosum montem excresceret? Advertite utriusq; in simili facinore discrimen. Ac inprimis quòd Davidicus lapis non spontè, non alacriter, non liberè, sed coactè, sed violente, manibûs alienîs è funda ejectus, in hostem irruerit: jam è contra Prophetæ lapis proprio motu, sine cuiusquam manibus, sua sponte & conatu, in statuam illapsus: ille vastiore circumactus ambitu & gyro ventum & aerem verberans, tandem insilierit in frontem: hic omnem auram perosus, rectæ ac silenter statuæ se impresserit: illum terrenæ mercedis regiiq; conjugii in Davide profanaverit appetitus: hic nulli tali ambitioni obnoxius, nec auri nec argenti cupiditate superatus. In illo elationis cujuspiam indicium, dum ad caput sese efferret: in isto demissionis Symbolum, dum se ad pedes usq; dejiceret. Illi satis fuerat, solùm ad terram prostravisse Goliam, huic necesse totam conterere statuam in cinerem & favillam. Et hæc tantaque communem illi alioquin cum Davidico lapide victoriam singularem ac extraordinariam reddidere. Ita utiq; ordinaria & vulgaria quæq;
in

in singularia transeunt, nec uni insignem palmam fastigiumq; sublimis Sanctimoniæ conferunt: itaut in montes magnos ac prægrandes excrescant, nec terram solùm, sed cælum etiam famâ & præmio virtutis impleant.

Quanquam quid communiùs quam panem frangere & sumere? De discipulis tamen Christi, agnoscentibus eundem in Emmaus pronuntiavit Evangelista: *Cognoverunt eum in fractione panis.* Verùm quid oro illa fractio panis habuit singulare, quo discipulos in Christi cognitionem duceret? Pleriq; Interpretes imò etiam Acatholici existimant Christũ habuisse specialem, diversum ab aliis modum ac consuetudinem, tractandi, frangendiq; panis. Simile quid de eodem Christo ascendente in Cælum Lucas: *Convescens* (inquit) *præcepit eis.* Et post pauca: *Videntibus illis elevatus est.* Ad quod D. Gregorius Papa: *Notate verba, signate mysteria: Convescens elevatus est, comedit & ascendit.* Ac si dixisset: Eam fuisse, & si cum omnibus aliis communem ipsam comestionem Christi, ut post ipsam illico velut eximiæ virtutis actũ ad cælũ usq; ipsumq; Patris æterni solium elevari meruerit. Et si Humil: 29. in Evangel:

hoc de Christo: non dissimile quid, servis & asseclis ejusdem imitandum. Nimirũ ut illi dum ordinaria quæcunq; aliisq; communia obeunt, sive prandent sive dormiunt, peculiares diversosq; ab aliis modos ac industrias usurpent, quibus eadem sua opera extraordinaria efficiant.

Idq; planè præstent quod circa arcam, Nòé præstare jussus. *Fac tibi* (inquit DEUS ad eum) *arcam de lignis lævigatis*. Ad quid

Genes: 6. verò hæc lævigatio lignorum? Num conductura erat reliquiis mundi ad salutem? Minimè quidem. Id tamen ipsum documento est, qualia nostra quoq; opera, esse debeant; hoc est non qualiacunq;, non perfunctoria, sed quasi lævigata, id est omni parte absoluta & exacta. Hinc si antiquitus etiam naves sive eximiis picturis sive aliis quibuscunq; modis exornabantur splendidiùs; unde de illis illud Plinii: *Pericula* (inquit) *pingimus*. Quis prohibeat quascunq; etiam actiones nostras, excellentibus quibuscunq; spiritualibus exornare industriis: quæ quò ampliori abundant ejusmodi ornatu, eò faciliùs & securiùs per illas ad sublimioris portum sanctimoniæ, cælumq; ipsum navigatur.

Hoc

Hoc verò etiam in Templo Salomonico eluxit, ubi etsi non omnia de auro vel argento fuerant, cuncta tamen, non arca tantum vel propitiatorium, non sola thuribula & candelabra, sed forcipes quoq; aliaq; minora deaurata luxêre.

Tanto verò magis id in cælesti à Joanne descripta Jerusalem: Ubi quoq; non ipsa tantum nobilior ejus structura de auro, margaritis ac omni lapide pretioso, sed ipsum etiam fundamentum, imò plateæ ipsæ & pavimenta iisdem adornata impendiis: *Plateæ ejus aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* Apocal. 21.

Nec aliter nobis quæcunq; nostræ non nobiliores tantùm sed infimæ etiam adornandæ actiones. Adornandæ inquam accuratissimo exquisitissimoq; operandi modo. Quali excelluit Epaminondas de quo proditum: *Quod non minori diligentia canales & expurgationem Civitatis curabat, quam aciem instrueret, aut confligeret cum hoste.* De Beato autem nostro Aloysio Gonzaga Ceparius in ejus vita. *In suis actibus nihil habuit mediocre.* Utpote omni ex parte exquisitum. Idem de B. Stanislao Kostka in suo panegyrico Ad: R. P. N. Ge-

neralis Oliva: *Cùm* (inquit) *actionum humanarum pretium ex intensione actûs, & operantis principii excellentia, uti Theologi loquuntur pendeat: necesse est Beati adolescentis virtutem, ut qui tam ardenti esset in DEUM charitate, gratiæq; cælestis tanta ubertate præditus, eamq; in rebus omnibus, quas gereret, totam exereret, eo usq; excrevisse, ut in actionibus cætera mediocribus, maxima multorum facinora, superaret.*

P. Tanner in vita P. Jacobi de Guzmann.

Id planè respexit celebris ille Avila dum Patri Guzmanno & Loarti ad Societatis tyrocinium digressuris inter alia documenta scripto mandata, hoc quoq; dedit: *Nihil commoveat vos, quâ tandem in re opera vestra adhibeatur; vel ipsas lances patinasq; purgare, id demum est animas convertere, & summâ voluntaté est peragendum.* Idq; ipsum est quod nostris quibuscunq; actionibus pretium conciliat & valorem. Si quondam in aula Valentis & Valentiniani Cæsarum (teste Cardano) viles & detritæ scopæ in omen floruerunt dignitatis: quis dubitet, viliores alioquin & contemptibiliores externa specie religiosas actiones, per excellentiores spirituales industrias,

rariùs excultas in eximium sublimioris Sancti-moniæ ac etiam cælestis coronæ posse efflore-scere ornamentùm.

Hinc illud axioma: *Non verba apud DEVM æstimari sed adverbia.* Nempe: non id quod agimus etiam naturâ suâ præstantissi-mum, sed quàm bene, quàm exactè, quàm ex-quisitè.

Atq; id ipsum observandum monet Sa-piens: *In omnibus* (inquit) *operibus tuis præ-cellens esto:* Hoc est insigni applicatione, cona-tu & studio, omni devotionis affectu, ex al-tissimis quibusq; motivis ac principiis, subli-mibus intentionibus, singularibus industriis, omnes tuas quasvis actiones ad amussim obire velis. Illam mente versando historiam de An-gelo quorundam Religiosorum in Choro ca-nentium devotionem aureó charactere anno-tante, aliorum argenteo: quorundam nigro, aliquorum aqueo ac pænè nullo. Quod cùm ita fuerit: Quid ni igitur nos quoq; eo enita-mur ut omnia nostra, facta dictaq; ab Angelis excipi, auroq; notari digna sint. Notabuntur verò, ac in catalogum sublimium Sanctorum unà nobiscum referentur, si ex modo agendi

pretiosiore id pretium præmiumquè merebuntur.

ADHORTATIO V.

Excellentia & sublimitas Sanctimoniæ ab exacta observatione & cura minimorum.

NE nimis magna, nimisq; ardua ad rationem Sanctimoniæ videremur exigere; communia idcirco & ordinaria, non ordinariè tamen obeunda in eam partem admisimus. Sed nè hoc quoq; ipsum, utcunq; saltem difficile censeatur, jam hodie in minimis etiam ejus amplitudinem proponimus. Illud pro argumento dictionis assumendo: Excellentiam & sublimitatem virtutis etiam in exacta observatione & cura minimorum sitam esse.

Habent etiam minima, quo vel ultra majora crescant, vel saltem in eorum comparationem veniant. Rerum omnium natura parens, non quidquam in contemptum edidit, & si parva aliquando tulit, tamen sæpe negatam magnitudinem, aut virtute, aut pretio, aut utilitate pensavit; ita ut nec humillima & abjectissima quæq; sine fastigio reliquerit, nè dicam

cam ſine faſtu. Imò per cuncta, debitam cuiq; enti diſpenſando dignitatem & gloriam, in minora eò liberalior extitiſſe viſa; quò magis ſine potiori dote deſpici potuerunt. Non eo per ſingula: gemmas, uniones, extra molem & vaſtitatem Rhodopæis pretioſiores montibus, terræ mariq; intactas relinquo. Intra me metipſum conſiſto: Cor, oculum, linguam, minuta utiq; corporis humani membra, eximiis interim refertiſſima dotibus in medium affero. In ſua videlicet parvitate, naturæ prodigia hæc ſunt; nec hominem tantum, ſed orbem etiam regunt. Jam vel ex eo minimorum æſtimanda dignitas & pretium, quod nulla absq; iis immenſitas, nulla moles. Quidquid in orbe magnitudinum, ex minimis conflatum eſt. Atq; ſic apud Poëtam: *ex atomis, tumuêre montes.* Apud Zenonem, continuum quodvis ex minimis indiviſibilibus conſtans. Hinc procerrimæ arbores, hinc Alpes, Olympus, Pelion, Oſſa, hinc globus terraqueus, hinc totum univerſum.

Idem verò in Aſceticis ac ſpiritualibus cogita. Ubi etiam minima non exigui momenti ſint neceſſe, ex quo ab ipſo DEO non levi pretio æſtimantur, tum quod immenſum

quod-

quoddam ac ſublime virtutis & Sanctimoniæ efficiant.

Ex minimis non parvum Sanctimoniæ ac meritorũ aggregatum.

Hujusq; ipſius videre eſt inprimis illuſtre documentum in illa muliere Apocaliptica, amicta ſole, ſuis lunam adſternente pedibus, duodecim ſtellis in capite coronatâ. Ubi quis non advertat ſoli & lunæ majoribus principibusq; luminaribus minores ſtellas longe præferri; cùm lunæ, vices pavimenti, ſoli, vices amictûs, ſideribus vices diadematis, ipſumq; caput delatum, Advertite verò ulterius, ſtellas, ſi ſolitariè luceant, modicam ſui oſtentare ſpeciem, nec niſi ſtellas eſſe: jam ſi ſimul collectimq, plures appareant; quàm pulchrum de ſe præbere ſpectaculum, quàm inſignes variasq? conſtellationum ſpecies exhibere, atq; in coronam etiam abire. Hinc Borealis ac Berenices Coronæ. Nec alia minimorum operum ac meritorum ratio. Et hæc quidem dum ſolitaria ſunt, etiam talia hoc eſt minima apparere; quod ſi accumulentur plura in unum, eximium ſanè ac præſtantiſſimum virtutis & Sanctimoniæ aggregatum, exactas juſtitiæ libras, invictæ fortitudinis leones, intaminatæ caſtitatis Virgines, manſuetudinis agnos, innocentiæ

gemi-

geminos, victores mundi carnis inferni Alcidas vel Perseos, sublimis contemplationis ac devotionis aquilas, puritatis olores, pænitentiæ Eridanos, concordiæ & charitatis lyras, ac ipsas demum consummatæ sanctitatis præmiiq; cælestis coronas efficere.

Hic plane locum habet via in cælo quæ dicitur lactea. Hæc ex eo, candore notabili refulget spectabilis, quòd, etsi minoribus, innumeris tamen stellis sit confertissima. Eâdemq; viâ ipsi juxta Pòëtas Heròës ac superi in cælum ferebantur: hinc illud: *Est via sublimis candore notabilis ipso, hac iter est superis.* Quod vero de sideribus, idem de vitæ Religiosæ minimis censendum est. Illa quoq; videlicet, si parem stellis illis numerum & copiam habeant, plane nobis viam virtutis lacteam, adeoq; viam ad cælum ipsum expeditam ac illustrem constituere; juxta illud scripturæ: *Justorum semita quasi lux splendens.*

Inde est quod D. Joannes portas cælestis Jerosolimæ ex singulis margaritis constantes adverterit: *Duodecim portæ* 12. *margaritæ.* Apoc. 21.
Et novimus utiq; quæ nam sit margaritarum parvitas; per has tamen ad cælestem Jerosoli-

mam triumphalem ingressum esse. Nè minima etiam cuiquam neglectui sint; per quæ nobis ad sublimis Sanctimoniæ adyta, via ac porta est, per quæ ipsum etiam cælum in immensum patet.

Nec frustra Sapiens postquam insignia opera ac encomia fortis cujuspiam mulieris recensuisset: tandem ad infimum minimumq; devenit: *Digiti ejus* (inquit) *apprehenderunt fusum.* Verum quid fortitudini decori laudibusq; amplissimis cum filis cum fuso? nisi quod illud hic æstimandum sit; quantum ex hoc ipso fuso ornamenti, insignisq; amictus prodierit: *Stragulatam* (inquit) *vestem fecit sibi. Byssus & purpura indumentum ejus.* Adeoq; quis & illa minima contemptui habeat, ex quibus tot ornamenta animæ, tot regalia pæne virtutum indumenta, tot stolæ gloriæ texuntur. Longè feliciori sorte quam quæ cuidam rusticæ mulieri de vico Montagnano obtigit. Hæc cum filum tenuissimum rudi quamvis pollice subtilissimè duxisset, illudq; in glomum convolutum Bertæ Henrici IV. Imperat. conjugi obtulisset, pro munere id præmii ac mercedis, retulit: ut tantum terræ possessio-

Beyerlinck & Vasconcellus.

ne caperet, quantùm illo filo protenso metiri posset. Atq; ita subitò opulenta evasit; ut etiam clarissima Patritiorum Patavinorum familia de Montagno dicta ex hoc fuso profluxisset.

Quanquam quid mirum ea quæ diximus in pretio haberi, cùm nivis vel grandinis, imò & arenæ copia thesauros efficiat: *Nunquid ingressus es thesauros nivis aut thesauros grandinis*, ait Job: tum Moyses: *Inundationem maris quasi lac sugent & thesauros absconditos arenarum.* Et certè quis inter alia, tenuem despectui propinet arenam? intra quam non divites tantum cum Gange Pactoli sed amplissima etiam concluduntur maria, & quidquid in se pretiosi continent, gemmas, lapides, uniones, opulenta mercimonia; hoc totum in eandem exonerant. Et si hæ & tantæ unius arenæ, tum etiam nivis & grandinis divitiæ: quis non simile aliquid de nostris minimis cogitabit? Illa scilicet esse, quæ nobis ingentes virtutum thesauros constituunt, illa quæ intra se mare meritorum, gratiarum, ac donorum spiritualium concludunt, illa quæ in nos tot opes ac merces cælestes congerunt.

Ex quo verò (videamus,) Turris illa posterorum Noe, usq; ad cælum surrectura erat. *Faciamus inquiunt civitatem, & turrim cujus culmen pertingat ad cælum.* Certè non ex ingentibus Saxis, non ex divulsis magna mole rupium frustis: aut super impositis sibi & coadunatis iisdem ipsis rupibus ac petris: Et unde tandem? Ecce ipsimet Architecti enuntiant: *Faciamus lateres & coquamus eos igni.* Ex minutis itaq; lateribus tanta fuerat erigenda moles. Ut vel inde nos quoq; erigamus animos: ex minimis etiam pares nos imò majores, cælo ac æternitati posse educere machinas.

Imò etiam pabulum pro eâdem æternitate habere. Non aliter quàm Filii Israel Exod: 16. qui quadraginta annis comederunt Man, hocq; cibo pasti sunt. Quid vero illud? nisi quoddam *minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ*, seu (uti infra) *quasi semen coriandri*: Sunt verò qui legunt: *In similitudinem Margaritæ* Acsi etiam minutissima quæcunq; ex parte virtutis sese tenentia in Margaritas quoq; hoc est divini cordis alimentum degenerent, in eamq; admirationem veniant, cum qua prædictum Man à Filiis Israël exceptum

est, ad primum ejus aspectum cum stupore quærentibus; *Manhu? quid est hoc?*

Præsertim cùm ipsa etiam minima id habeant non modicum, quod intentionis adminiculo in immensum extendi dilatari attolli possint. Sic Angelus Apocalipticus *habebat mensuram arudineam auream.* Qua certe metiretur Civitatem cælestem Jerusalem. Verum quid inprimis abjectæ arundini ad aurum? Nisi quod Angelicæ eam tractarunt manus, quæ minima ac vilissima quæq; in aurum transformare norunt. Aurum inquam præ aliis metallis ita ductile, ut modica ejus particula & in longum & in latum ad eximiam amplitudinem diduci & extendi possit. Idemq; ipsum de quibuscunq; minimis, intentionis thaumaturgâ vi in aurum transformatis cogita.

Præsertim intentionis adminiculo.

Nec aliunde est, quod DEVS ipse eadem minima tantopere æstimet, ut illis efficacissimè capiatur, ideoq; cum Sponso exclamet: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui:* Alii legunt: *Cepisti cor meum.* Sed quid crini cum oculo. Cùm inprimis oculi tanta sit in corpore humano præstantia, crinis è contra tanta vilitas, ut

Minimorum apud DEVM æstimatio.

inter excrementa naturæ numeretur, eundem incolere etiam animâ dedignante. Præterea quis neſciat eam oculis ineſſe virtutem ac efficiam, ut ipſa corda captiva teneat, potentemq; in ea exerceat dominatum: hinc quispiam apud Pöétam retulit: *Suis me Cynthia cepit ocellis.* De Crinibus autem quid ſimile auditum eſt? Reſpondet D. Franciſcus Saleſius in hæc verba: *Ideo DEVM in perſona Sponſi eam vim oculo ac crini pariter adſcripſiſſe, ut* (inquit) *oſtenderet, non tantum ſibi grata eſſe opera magna juſtorum, ſed etiam minima ac infima,* Tunc verò vel maximè, ſi crini hoc eſt minimo cuiq; operi, oculus, id eſt intentio aſſocietur. Ab hac utiq; aſſociatione viliſſimi ac minimi etiam crines id nanciſcuntur pretii, ut ipſis cor etiam Divinum capiatur tenerrimè.

Nec jam miror tanti Neronem quanti referunt hiſtoriæ, ſuæ Poppeæ Crines æſtimaſſe, ut ſcilicet ſingulos numeraverit, ſingulis nomen indiderit ſingulare, ſingulos uno carmine celebraverit, ac etiam pectine donaverit aureo; ſi quis autem capite excidiſſet, auro curaverit includi, & in templo ad caput Junonis

reponi.

reponi. Non miror & Abſalonem quòd ille ſuam toties totq; Siclis appendiſſet Cæſariem. Cùm apud DEVM ipſum noſtri quoq; capilli, hoc eſt juxta Saleſium minima merita, tanti ſint, ut illa attentè exactè numeret, ac cælo ipſo rependat: *Capilli capitis veſtri numerati ſunt.* Imò etiam ſuo capiti velut pretioſam induat Cæſariem, atteſtante Sponſa: *Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus ſicut elatæ palmarum.* Ita ſcilicet noſtri capilli, hoc eſt minima opera in palmas norunt excreſcere, ac ideo aureo Chriſti capiti inſeri implantariq; pulcherrimè. Seu quod etiam aureum Religioſi caput crines hoſce id eſt eadem minima in præſtantes velut diviniore quâdam magiâ palmas norit efformare.

Cùm illud præterea accedat: quod etiam minutiſſimis noſtris actionibus inſignes quandoq; gratias ac beneficia DEVS conſueverit adnectere: ut olim uni per Joam Regem ſagittæ jactui, extremam deletionem Syriæ, uni in Paradiſo à pomo abſtinentiæ perennitatem beatitudinis humanæ, uni aquæ frigidæ poculo pauperi propinato eximiam in regno cæleſti mercedem & præmium alligaverat.

Annexæ illis gratiæ.

Si

Si verò scriptura Dan: 14. testatur Habacuc Prophetam ab Angelo *Portatum capillo capitis sui & positum in Babilone.* Jam alter Propheta Ezech. 8. profitetur se à manu quapiam *apprehensum in cincinno capitis & elevatũ inter terram & cælum adductumq; in Jerusalem.* An non similis minimorum quorumcunq; ratio, quibus neglectis æterna Babilon, prompto acceptatis animo cælestis annexa Jerusalem. Si enim unicum Regi Artaxerxi ab homine villano donô porrectum pomum id meruerat, ut supremo totius civitatis rependeretur gubernio: quid de Divina erga minima liberalitate censendum est?

Et si in eo potissima terrenorum artificum elucet ars ac industria, si minusculis quibusq; artefactis grandia quæq; inserant, vel insculpant: ut nucleo quispiam totam Homeri incluserat Iliadem. Certè nec in eo divinum deficit ingenium, cum illud etiam in minimis quandoq; nostris meritis, immensam magnorum donorum suorum farraginem ac totam gratiarum Iliadem includat.

Id certè spectavit Divus Indiarum Apostolus, dum illud suis ingeminaret: *In rebus*

etiam

etiam parvis, magni ipsi existere conemini: lib. 3. Epist. 3. Et idem alibi: *Nemo se ipse fallat: Non potest quisquam magnis in rebus excellere, qui non prius excellat in parvis.* Et tandem: *Si non potes, quod voles, velis quod poteris.* Utiq; in linea æque ac effigie tota se magistrũ probavit Apelles: Quod olim uni ex Pontificibus pro crisi adscriptum: Pontifex maximus in minimis: Hoc nos revera in laudem eximiam nobismet convertamus: ut in minimis velimus esse maximi.

Idem lib. 3. Epist. 5.

Quod si ad amussim impleverimus, id profecto fiet, quod Titus Livius lib. 6. in simili: *Parva* (inquit) *sunt hæc, sed parva ista non contemnendo majores nostri, maximam hanc rem fecerunt.*

Nec de his interim plura: hæc utiq; quæ hactenus memoravimus, tum ad conciliandam minimorum æstimationem tum ad promovendam in nobis per illa excellentiorem Sanctimoniam abundè sufficient.

ADHORTATIO VI.

Rarioris Sanctimoniæ est eniti ut vivat sine defectu ac nævo, & quidem cum quadam impotentia peccandi.

POstquam eam sublimitatem in minimis actionibus constituimus: non dum satis illius mensuram implevimus. Parum scilicet est illam tot tantisq; nitere splendoribus, si nævi adsint, qui eam inumbrent. Talis alioquin sanctitas eam Crysim facile incurreret, quam rudiori cuipiam pictori viraginem inter gemmas, torques monilia, sed inter hæc vultu aliquantum deformiorem depingenti quispiam adnotarat: *Non potuit facere pulchram fecit divitem.* Et id sane est, insignibus virtutum ornamentis fulgere, interim nævis pluribus deformem esse. Illam igitur in præsens vere sublimem excellentemq; Sanctimoniam agnoscimus quæ sit sine nævo.

Ea est generis humani conditio, ut inter eximias etiam dotes vix possit vivere sine nævo. Hinc illud Plinii: *Adhuc nemo exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur:* Non aliter quam de speciosissimis hor-

tis & arboribus Pòéta occinit: *Sunt & virentes inter adoreas, plerumq; turpi degeneres situ rami & stolones, sunt decori dedecus opprobriumq; trunci:* Sic de Alexandro: *Omnia licet Ducum Regumq; exempla transierit, nihil tam magnum quam cædes Calisthenis.* De Vespasiano etiam: *Si avaritia abesset, antiquis ducibus par.* Ac tandem de quopiam Cicero: *Omnes in tuis laudibus excipiunt iracundiam.* Quid de illis quos Beatissimos, Sanctissimos, Catholicissimos, Christianissimos nominamus? cùm de ipsis cælis Angelisq; illud enuntiatum novimus: *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus, & in Angelis reperit pravitatem.* Ac ideo Apocal: 1. 2. 3. illis Angelis Ecclesiarum toties inculcatur: *Pænitentiam age: habeo adversum te pauca.* Proindeq; illud probatissimum, quod sicut nulla est pulchritudo, quæ suos non habeat nævos, ita nulla aut rara virtus, quæ aliquo sibi annexo vitio non laboret. *Et sicut in pessimis aliquid boni, ita in optimis aliquid pessimi invenitur.*

P. Ines.

Seneca.

Tacitus.

Eam igitur raritatem Sanctimoniæ inpræsens suademus, quæ inter non paucos virtutum splendores ab omni nævo sit aliena.

Qualis olim inprimis fuit ſanctitas Eliſæi, quam eandem Sunamitis in eo agnoverat ac proclamaverat dum 4. Regum. 4. ad ſuum conjugem diceret: *Animadverto* (inquit) *quod vir DEI Sanctus ſit iſte.* En non quomodocunq; probum nominat, ſed inſigniori potius titulo viri DEI, Prophetam exornat. Neq; vero hoc etiam ſatis contenta, inſuper eum apotheoſi donat, ſanctum toto ore pronuntiat; ut eo ipſo non ſimplicem non quamcunq; ſed auctiorem aliquam præ aliis ſanctitatem duplicatis titulis in ipſo recognoſcat. Verum unde hæc illi, Prophetæ ſanctitas patuit? dicerem quòd ex externa ad omnem modeſtiam & probitatem compoſita viri ſpecie. Sed hanc etiam ſceleratiſſimos quosq; ſibimet adſciſcere, forte illa compertum habuit, atq; ſic non ex hac ementitæ non raro virtutis impoſtura, ſufficiens ſanctitatis propheticæ documentum collegit. Salomon Rabbi apud Lyranum exiſtimat, ex eo Sunamitidem de Eliſæi ſanctimonia opinionem concepiſſe, quod in ejus cænaculo nullam unquam comparuiſſe muſcam adverterit. Etſi autem hæc arbitraria parumq; ſolidæ veritati conſona ſententia: certe ex il-

lius

lius occasione, illam ego plane eximiam sanctitatem proclamo, quæ non extra camelos tantum grandium delictorum, sed extra muscas etiam, & culices minimorum defectuum, adeoquè extra omne vitiorum quorumcunq; vulgus versatur. Et talem absq; dubio Sunamitis suspexerat Elisæi virtutem, scilicet ab hisce muscis & culicibus immunem: ideoq; rariorem aliquam & excellentiorē præ aliis. Ut enim illa virtus planè spuria est, quæ dum culices & muscas excolat, camelos glutit; ita nec illa rara admodum & singularis, quæ licet camelos aversetur, à minori tamen muscarum & culicum grege non abhorret. Si legitima, omni ex parte defecata sanctitas est, sit instar Imperatorii Domitiani Cæsaris cubiculi: de quo cùm quæreretur: essetnè quisquam apud Cæsarem? Respon: *Ne musca quidem.*

Inde est quod Ecclesiasticus de quopiam justo pronuntiat: *Beatus vir qui inventus est sine macula. Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Cap. 31. Plura ille quidem hujus ejusdem viri justi decora ac virtutes eo loco recensuit, ac præcipuè auri mundanarumq; opum contemptum: *Post au-*

rum (inquit) *non abiit* : pro principali tamen illud retulit, quod fuerit ſine macula ſine nævo: idemq́; ipſum iterum iterumq́; ampliori periphraſi explicuit : *Qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit.* Atq́; in eo ipſo raritatem ejus collocavit Sanctimoniæ, dum quæreret, *quis eſt hic & laudabimus eum?* illudq́; magni adinſtar prodigii propalavit: *Fecit mirabilia in vita ſua.*

Hancq́; talem ſanctitatem in ſe non minus expreſſere, à me toties memorata Prophetica animalia : idq́; in eo, quod totum illorum *corpus plenum* eſſet *oculis ante & retro* : Non ſola ſcilicet facies non pectus non manus nonniſi, ſed pedes etiam, & quidquid in toto corpore membrorum fuerat. Verum quid oculo cum immunitate à nævo quocunq́;? novimus utiq́; : ſi quid, certe oculum adeo rem eſſe delicatam ut non trabis tantum ſed etiam feſtucæ, imò minimi pulviſculi ſit impatiens. Atq́; non alia noſtra ſanctitas ſit neceſſe. Ita nimirum delicata, ut omnem nævum omnem à ſe defectum excludat : ac ſi unusquisq́; noſtrum vel totus oculus, vel plenus circumquaq́; oculis eſſet, ut nullibi in toto corpore in ullo ſenſu

& affe-

110

& affectu, etiam in pedibus, nævo vel minimo locus foret: juxta id quod Christus præcepit Apostolis: ut pulverem pedum suorum excuterent: hinc acclamante Propheta: *Quam speciosi pedes Evangelisantium*: Addit vero Aélredus. *Quibus* (inquit) *ne pulvis quidem è terra adhæsit.*

Antiquorum sensus fuit: culpas hominum in dorso annotari solere: ita ut dum abeuntes ad alterum mundum isthuic tergum obvertunt, hæ eædem culpæ à superstitibus legantur: hinc illud Persii: *Vos ô Patritius sanguis, quos vivere fas est: occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.* Et hoc ipsum non vulgari studentium Sanctimoniæ proprium est, ita toto corpore & animo, ante & retro esse oculatos, ut non habeant, quo loco nævum & notam vel minimam recipiant.

Sic illa mulier Apocaliptica, quam D. Joannes signum magnum appellat: *Apparuit signum magnum in cælo*: Idq; etiam vel ideo quod tota in splendoribus refulserit, ita ut nec umbræ levissimæ locus in ea fuerit. Qua enim sui parte umbram admisisset, quæ tota sole amicta comparuit, duodecim stellis caput irradian- *Apocal. 12.*

radiantibus. Et si luna utcunq; maculosa, ibi locum invenerit, sed sub pedibus. Et certè illa mihi adinstar signi magni, adinstar magni prodigii, planeq; cælo digna sanctitas, quæ omni ex parte maculæ cujusvis ac umbræ expers, quidquid vitiosi aut maculosi est, hoc totum infra se pellit & calcat.

Nec aliunde lilium inter flores supremum obtinuit principatum: *Florum* (inquit profanus vates) *lilia Reges*: Nisi quod intaminato citra omnem maculam candore niteat; Atq; ita illam etiam, omnino non plebeiam sed principem sanctitatem comprobet, quæ lilio simillima, hoc est illimi vitæ morumq; munditie commendata: quam nulla delicti labes asperserit.

Uti pariter mare illud Apocalipticum; *Mare* inquam *vitreum simile crystallo*: Eo ipso forsitan meruit ante thronum DEI proxime collocari, quod omni ex parte diaphanum atq; pellucidum ab omni limo purgatum fuerit. *In conspectu* (inquit) *sedis mare vitreum simile crystallo.*

Apocal. 4.

Eademq; de causa illa centum quadraginta quatuor millia tot tantisq, exornata privilegiis

vilegiis Apocal 14. leguntur, atq; etiam ad eundem DEI thronum admissa, quod absq; ulla macula inventa fuerint: *Sine macula enim sunt ante thronum DEI.* Ea scilicet non cuicunq; subsellio, sed ipsi DEI throno digna admoveri sanctitas quæ cujuscunq; labis & culpæ nescia.

Nec incongruè Apostol: *Spectaculum* (inquit) *facti sumus mundo, Angelis, & hominibus,* D. Hieronymus ut alibi diximus, legit: *Theatrum facti sumus.* Nempe sicut ille in theatro & comædia admodum egregius ac insignis suæ scenæ actor est, quisquis sive in pronuntiatione ac voce, sive in actione ac gestu, sive in quovis alio ad oratorem Comœdumq; spectante nè minimum quidem erroris committit. Ita ille quoq; insigniter & eximiè sanctus censendus est, cui nihil omnino devium à regula virtutis contingit. Hinc ipsa quoq; cælestis Jerosolyma, non aliunde in Apocalypsi Nomen Sanctæ promeruit: *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem*: Nisi quod de ipsa illud pronuntiatum sit: *Nihil* (inquit) *coinquinatum intrabit in eam.* Parum videlicet illi fuerat tot & tantis, qualia D. Joannes recenset, nituisse

ornamentis, nisi omne etiam inquinamentum à se exclusisset.

Qua vero alia causa arundine aurea hanc eandem Civitatem cælestem Jerusalem Angelus metiri jussus : *Habebat*, (inquit Apocal. 21. Joannes) *mensuram arundineam auream ut metiretur Civitatem.* Certè enim tunc ea Civitas jam exstructa jam perfecta jam plenè consummata erat. Utiq; autem tunc applicari assolent arundo, & quæcunq; mensura, dum quæcunq; exstruitur moles; non vero cum jam exstructa & ad coronidem perducta est? Præterea arundine, mensurâ exploratur defectus quicunq; rectitudinis: an rectum vel non rectum quidpiam? Ibi autem quid devians quid declinans à recto? ubi omnis proportio, omnis rectitudo? Nempe viva hic Sanctorum ac perfectorum virorum expressio ac imago: quorum ea est ratio; ut ipsi in omni sui rectitudine sese explorent examinent diligenter; Si vel minimus rectitudinis defectus inveniri queat, eum illico corrigere parati sint, semperq; ac semper ad majorem exactioremq; rectitudinem proficere velint. Juxta Jacobi Apostoli edictum (cap. 1. Epist. Cathol.) *Vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Pla-

Planè locum hic habet illud vas quod fecit Moyses *de speculis mulierum. In quo se* (addit Cornel: à Lapid:) *specularentur Sacerdotes an maculis essent aspersi?* Et quia scimus idem ipsum vas pro lavacro fuisse: an igitur non satis erat illi affundi aquam qua eluerentur maculæ? Quæ insuper necessitas muliebris & quidem non unius speculi? Nisi quod speculum exactius nævos repræsentet ac prodat, quàm nescio quæ etiam clarissima ac limpidissima lympha. Hoc itaq; ut nè minimos quidem veteris testamenti in se paterentur Sacerdotes, non lymphiâ tantum nec unô speculô sed pluribus etiam opus fuerat. Exod: 38.

Quanquam hujus ipsius quam assumpsimus deducendæ veritatis perspicuum speculum est Domus Marthæ & Magdalenæ. Dum enim recenset Evangelista quomodo in eam JESVS intraverit, quomodo illum exceperit Martha, Magdalena pedibus ejus assederit: S. Bernardus nescio cujus nomine miratur ac interrogat: *Cur ibi nulla prorsus Lazari mentio fiat?* simulq; respondet: *Virginalem domum intelligi volens spiritus, siluit incongruè pœnitentiam:* (hæc enim Lazari voca-

bulô interpretatur) *quæ malum utiq; comitatur. Absit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Et hinc certè similem excellenti Sanctimoniâ conspicuam decet esse conscientiam, quæ scilicet scopâ pænitentiæ non indigeat.

Atq; id defacto S. Paulus à suis Philippensibus requirit, dum illud iisdem inculcat: *Vt sitis* (inquit) *sine querela & reprehensione:* Quod ipsum de semetipso Job profitetur: *Cor meum non reprehendit me in omni vita mea.* Idemq; in sua Sponsa Sponsus agnoscit: *Tota* (inquit) *pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Qualem etiam Divus Apostolus vult esse Ecclesiam: hoc est *non habentem maculam neq; rugam.* De semet autem ipso Psaltes: *Probasti me & igne me examinasti, & non est in me inventa iniquitas.*

Jam Apostolus ad Rom: cap. 8. universaliùs: *Quis accusabit adversus electos DEI?* Electos, vero certè non quoscunq;, sed non vulgari commendatos Sanctimoniâ, quorum ea est vitæ integritas, ut non inveniatur qui eos cujuscunq; valeat accusare delicti. Qualis

ille

ille qui de se in Psalmo : *Circumdederunt me sicut apes.* Circumdederunt inquam tanquam florem innocuum : ex quo præter dulcem mellis materiam nihil omnino venenosi ab iisdem apibus delibatur.

Atq; hæc plane est (de qua apud Prophetam) *Vindemia defæcata.* Hoc illud speculum in quo ipsa Divina majestas sese admodum spectabilem exhibet ; hæc imago in qua se ejusdem DEI bonitas insigniter depingit : *Speculum DEI Majestatis sine macula & imago bonitatis illius.* Hæc eadem sanctitas qua olim Beatus Aloysius Gonzaga, Joannes Berchmanus, aliiq; claruêre, in quorum moribus & vitâ non lincei tantum quicunq; oculi quidquam vitiosi poterant advertisse, sed ipsi quoq; Confessarii quibus ex integro eorum fuerat perspecta conscientia nihil penitus noxæ saltem gravioris etiam venialis deliberatæ comperêre. Longe verius ac laudabilius, quàm quod de semet Titus Vespasianus, conquerens de diis, quòd se è vivis nimis cito raperent : *Quum nullum* (inquit) *per omnem vitam extaret factum, cujus pœniteret, uno duntaxat excepto. Id cujusmodi fuerit? nec ipse prodidit, nec*

quisquam conjectare potuit: addit Suetonius. Et hæc genuina defacto excellentissimæ ac defæcatissimæ virtutis laus est absolutissimâ absq; ulla exceptione, cujuscunq; noxæ gaudere carentiâ. Qualem olim assidentes morienti Octavio Augusto Cæsari per adulationem appinxerunt Romani Senatores, dum interroganti: *Rectene* (hoc est absq; erroris ac vituperii admistione) *Mimum vitæ egi?* responderunt: *Recte*, illo concludente: *Ergo plausum date.*

Impotentia quædam peccandi.

Nisi quod illud etiam à sublimioris sanctimoniæ sectatoribus exigendum videretur; ut etiam non tantum omni prævaricatione ac nævo careant. Sed etiam quandam delinquendi contrahant impotentiam. Qualem videtur in se exhibuisse Josephus Patriarcha, cùm illud Dominæ suæ, uxori autem Putiphar opposuisset: *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in DEUM meum.*

Qualis item ille ad quem illud Jerem. 1. *Dedi te in civitatem munitam, & in columnam æream, & in murum ferreum.* Unde enim ipsi in tanta firmitate vel modicè succumbendi labendiq; periculum, ac potentia? Uti quoq; illi,

illi, de quo apud Psaltem: *Sicut mons Sion non commovebitur in æternum*: Cui scilicet id est monti, moveri etiam vel minimè pro miraculo esset. Idq; ipsum de semet ipso idem Psaltes: *Ego autem Dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.* Hujus ipsius rationem subjungens: *A dextris est mihi* (scilicet DEVS) *ne commovear.* Quis enim in tali circumstantia, commotionis ad prolabendum utiq; in peccatum metus?

Jam universaliter de quocunq; solidè Justo Proverb: 12. *Radix justorum non commovebitur.* Certè enim profundè in virtute radicatus, haud facile corruere aut subverti, imò etiam quâcunq; tentatione commoveri potest. Adinstar illius arboris, cui eundem justum David assimilat: *Sicut lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum: plantatum* inquam non quomodocunq; superficialiter hærens. Virtutes utiq; superficiales eæ solæ pronæ ad ruinam. Aut etiam instar Salomonici Sponsi, de quo ipsamet Sponsa: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Quanta enim talium à potentia & periculo cadendi distantia, præser-

tim

tim ita se super auream id est excellentem DEI charitatem fundantium.

Quanquam nec illi eadem potentia ad lapsum facilis, qui pariter de se ac de DEO: *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit super petram pedes meos.* Ne scilicet ille posset prolabi amplius, imò nè cespitare quidem. Huc quoq; pertinet & illud: *DEUS qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me. Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Ubi quænam tentatio & culpa tali balteo præcinctum aggredi, tam illimi viâ incedentem fœdare, tam pernici cursu contendentem assequi, tam firmo & excelso consistentem loco è fastigio detrudere imò attingere, tam robustis instructum brachiis frangere ac superare valeret?

Quod si illud scripturæ: *Cælum sedes ejus*, de animabus justis intelligitur, Divo Gregorio Papa Homil: 38. in Evangel: attestante: *Dum* (inquit) *cælum dicitur sedes DEI; cælum ergo est anima justi.* Uti igitur cælum non tantum peccati cujuscunq; licentiam, sed ipsam quoq; potentiam excludit peccandi, ita

etiam ab anima, in qua DEVS ſedem ſuam fixit, eadem longe ſit neceſſe.

An non vero inſuper de hac impotentia peccandi in illis Pſalmi verbis: *Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis inquitates noſtras*. Quomodo enim orienti poſſet occidens componi atq; conjungi? Hujus autem ipſius normam & exemplar in ſe viſus exhibuiſſe Chriſtus, illud de ſe in Evangelio enuntians: *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam*, tam ſcilicet de quocunq; delicto, quàm de potentia delinquendi. Et revera inventi ſunt tales in quibus ſimilis quædam viſa eluxiſſe ad non peccandum ac ſi in Adam non peccaſſent (quod præter alios ac inprimis Divum Joannem Baptiſtam ex hujusmodi impeccabilitate Angelis annummeratum, dequo apud Prophetam: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, de Beato etiam Stanislao Koſtka proditum) impotentia. Ad quam ſi nobis quoq; difficile pertingere, ſaltem niti ad eandem quis prohibeat?

Hanc igitur talemq; hoc eſt omnis quantum fieri poteſt maculæ expertem ac impotentem quodam modo peccare Sanctimoniam ſi

nos quoq; ad summum ejus fastigium perdu-ctam sectabimur; eo tandem quo nihil coinquinatum intrabit, cum insignis possessione præmii, facile pertingemus.

ADHORTATIO VII.

Excellentia Sanctimoniæ in heroicis actionibus & victoriis sui ipsius.

NOn unum est, quod jam ad sublimioris Sanctimoniæ fastigium contendentibus suasimus, tam per infima quam per summa tritum tot vestigiis monstrando iter. Sed quia ad magna & sublimia arduus plerumq; ascensus est: ideo ad hæc heroicis passibus enitendum. Illud igitur inpræsens nobis quoq; enucleandum erit: nempe ad excellentiorem etiam Sanctimoniam, non quibuscunq; sed heroicis omnino actionibus strenuisq; sui ipsius victoriis opus esse.

Exerrat non modicè quisquis solum duntaxat mundum, & non etiam statum Religiosum heroum feracem existimat. Si ille heroes parit, certé nec religio hac in parte ste-

rilis est. Imò si heros quandoq; est impietas; quis virtutem eb ea laude excludat: & non heroem esse velit?

Tanto verò magis fallitur ille, quisquis excellentem sanctitatem omni ex parte facili constare, nec heroicis indigere ausibus temerè autumat. Ut scilicet non cuivis olim triumphaliter ingredi licuit Capitolium; nisi prodromæ, eæq; non qualescunq; præcessissent victoriæ: ita sublimioris virtutis fastigium, non aliter omnino licet attingere; nisi per heroicas actiones insignesq; sui victorias iter sit. Præsertim quod juxta ascetas Religiosus status perpetua sit naturæ violentia.

Excellens Sanctimonia heroica.

Non coronabitur (inquit Apostolus) *nisi qui legitimè certaverit.* Nimirum ut quis palmam qualemcunq; præripiat, minores quascunq; pugnas ac velitationes sufficere. Jam quisquis coronam non plebeiæ utiq; debitam Sanctimoniæ nititur apprehendere, ideoq; Rex virtutis esse: non quomoducunq; sed legitimè hoc est strenuè, insigniter, fortiter, admodum heroice, non ignavè, non perfunctoriè, non leviter ei decertandum.

Hoc idem eſt quod de ſe ipſo Divus Apoſtolus: *Certamen certavi curſum conſummavi, fidem ſervavi : in reliquo repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ.* Ubi quis non videat? quænam ad coronam, principatumq; juſtitiæ pertineant? quibus e viis ad id culminis perveniendum ſit? Nempe per heroica certamina & victorias. Atq; ſic parum hic viſum eſt, fidem anteſignanam virtutum ſervaſſe : parum conſummatæ cujuscunq; probitatis decurriſſe olympia : niſi heroicis certaminibus via ſterneretur ad coronam. Utiq; enim teſte etiam Pöeta: *non venit è facili lecta corona jugo.*

Cujus ut etiam Abrahamum participem DEUS redderet, heroem eſſe voluit non vulgarem: ex quo ſui unici immolatorem filii : Et quidem non alio loco; ſive in valle ſive in planitie; ſed in monte excelſo; ut vel per hoc ejus heroiciſmum augeret; ut ſcilicet Abraham etiam à longe habens ſibi montem incurrentem in oculos repetitio ejus aſpectu, toties dolorem in corde paterno innovaret, nutriret, totiesq; heroicum animum exerceret, heroem ageret.

Geneſ. 22.

Ideoq; in Pſalmo etiam Davidico non alteri Dominium virtutum, id eſt ſublimioris

titulus

titulus Sanctimoniæ regnumq; gloriæ defertur; nisi qui se eximiè fortem potentemq; in prælio planeq; heroem exhibuisset: *Dominus* (inquit) *fortis & potens, dominus potens in prælio*: Et tandem *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ*. Ubi hic idem Regni candidatus, non simpliciter fortis, sed potens etiam, nec id ipsum semel, sed iterum potens, hoc est in gradu eximio heros celebratur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*.

Idemq; plane est quod in Apocal: promittitur: *Qui* (inquit) *vicerit, dabo ei sedere in throno meo* En hic quoq; non ignavus quispiam non imbellis cujusvis Sanctimoniæ cultor: imò non quivis etiam pugnator, & Athleta, in possessionem throni divini qui sublimis utiq; præmium esse consuevit virtutis, dicitur admittendus: sed nonnisi perfectus consummatusq; heros ac victor: nisi ille ipse, quem non vulgares sui vel mundi inferniq; victoriæ commendaverint. Qualis ille, quem eadem talium ferax exemplorum Apocalypsis exhibet: *Et vidi & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* En quis

Cap. 3.

Cap. 4.

hic diadematis particeps? nisi heros arcu armatus, victoriis insignitus.

Jam quid illud quod in eadem ipsa Apocalypsi ore ipsiusmet Christi promulgatum est: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo DEI mei.* Ubi palam est: non aliter melius, nos in sublimes, Divinæ Ecclesiæ & gloriæ sustentatrices, Sanctimoniæ columnas posse assurgere, quam per egregias nostri victorias, & plane heroicas depressiones. Dum enim sic carnem nostram nosq; ipsos infra deprimimus, pæneq; humi sternimus; eâ ipsâ nostri ruinâ in sublime virtutis elevamur: decrescentibusq; in nobis mundo carne ac vitiis, crescimus sive in Ecclesiæ Atlantes, sive in columnas. Alioquin ni illa corruant, minimè in nobismet assurget virtutis sublimitas: ita ut si hac in parte segnes nec heroes fuerimus, vix fungos aut humi repentes cucurbitas mole probitatis æquare possimus.

Si enim 2. Esdræ 4. non aliter muri Jerusalem assurgere in altum poterant, nisi unusquisq; *una manu sua faceret opus, & altera teneret gladium*, heroicus utiq; architectus: quomodo sublimioris Sanctimoniæ assurgeret

fabrica, si non eàm heroici ausus promoverent?

Nec aliunde est quod ipsemet Christus in Evangelio pronuntiavit: *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Ubi si ad capessendum quodcunq; cæleste præmium, iis opus impensis est, iisq; viribus; quantis oro laborandum pugnis ac victoriis ad insignis Sanctimoniæ coronam in eo regno obtinendam? ita ut hic etiam illud, planè acclamari jure merito possit quod(uti alibi supra adduximus) Alexandro olim pugnaturo fuerat inculcatum: *Macte Alexander pro regno tibi cum leone pugna.*

Et certè si non alteri 1. Reg: 17. filia Regis in conjugium appromissa, nisi qui Gigantem Philistæum prostravisset. Nec etiam alteri Axa Filia Principis Calebi cedere debuit, nisi qui Civitatem Cariath Sepher percussisset. Quisnam sibi regali ac plane divina styrpe procedentem Sanctimoniam auderet polliceri? qui vile nonnisi hostium spiritualium vulgus & non Gigantes, manu invalida sterneret, nec potentes mundi, carnis, diaboli, machinas expugnaret.

Nec

Vnus actus heroicus, aliis pluribus æquivalens.

Nec mirum illam post interfectum Goliam secutam acclamationem : *Percussit Saul mille & David decem millia.* Ubi quis crederet, aliquid hac in voce veritati consonum? dum in uno à Davide percusso decem millia computantur. Nempe unus Gigas pro tot millibus censendus est dum sternitur. Non dissimili hinc deductâ asceticâ veritate : unum actum intensum ac heroicum mille æquivalere remissis atq; non heroicis ; adeoq; sui unius exercitio grandem efficere Sanctimoniam cæliq; plausum. Ecce namq; quidnam ipsemet Saul post decantatam superius Davidicam victoriam subintulit? *Quid ei* (inquit) *superest nisi solum Regnum?* Regnum utiq; sanctimoniæ non aliter facilius possidetur quàm per heroicos, similes Davidi Goliam triumphanti actus, eosq; licet vel paucissimos.

2. Reg. 23.

Inde est quod illi heroes qui Davidi aquam de Cisterna Bethleem attulerant vocati *tres robustissimi ex Israël*: An verò hostiles exercitus fugarunt aut ceciderunt, an prostraverunt leones? Minimè: hoc tamen apud Ascetas non dubium, quod unus actus heroicus heroes fortissimos facere possit; plurium actuum vices

agere.

agere. Ita ut hic etiam non raro, *unum pro cunctis fama loquatur opus.*

Quod ipsum in præfato supra Abrahamo patuit: de quo Apostolus: *Respicite ad Abraham Patrem vestrum, qui justificatus est ex operibus: Filium obtulit.* Quid vero est? unum opus oblati filii commemoratur, & multa interim in plurali ab Apostolo numerantur: *Justificatus, est ex operibus?* Nisi quod non raro vel unicum heroicum quale fuit oblatio Isaaci facinus non tantum æquivalet pluribus sed imò superat. Inde est quod pariter antiquitas plures unius licet actus heroici patratores pro insignibus reputavit heroibus: sic Horatium Coclitem, sic Scævolam sic Cinegirum & alios non paucos: Præter illam celeberrimam Holofernis triumphatricem Judith.

Plus dicam minora ac leviora quandoq; insignes heroicismos in se gerere. Atq; eo spectat quod de nobili muliere Salomon: *Manum suam misit ad fortia: Quæ vero illa? Digiti* (inquit) *ejus apprehenderunt fusum.* Nempè etiam circa tam modicam ac despectã rem heroicæ Fortitudini campum esse. Hinc S. Gregor: Papa de Davide coram arca Saltante

Materia actuum heroicorum res etiam minores.

Apud Hugonem Cardi: in Psal: 17.

& à Michol irriso: *Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro : Ego David plus saltantem stupeo quàm pugnantem. Pugnando quippe hostes subdit, saltando autem coram Domino semetipsum vincit.* Quid vero hic de eodem Davide aquam de prædicta Cisterna Bethleemitica sibi in ardente siti allatam libante Domino dicendum? Hinc quoq; Plinius de Trajano: *Ex omni occasione triumphum capere didicit.*

Compendiosa via ad Sanctimoniam ejusq; præmium actus heroici.

Nec ideo alia compendiosior in sanctitate crescendi ratio juxta illud Psaltis: *Justus ut Palma florebit.* Nimirum non pulchrius non facilius, justi Sanctimoniâ efflorescunt: quàm dum Symbolum victricis palmæ per actus heroicos suiq; victorias in se exhibent: ita ut licet cætera virtutum deesse videantur; hinc illis non modicus sanctitatis & gloriæ adveniat proventus. Juxta id quod de Insulis Maldivanis Historiographus. *Sterilis* (inquit) *alioquin Regio, quam tamen genus palmæ nobilitavit.*

Id ipsum Apocal: 7. Scilicet eos in conspectum Agni, diviniq; throni viciniam admissos, in quorum manibus victrices eviruêre palmæ: *Stantes* (inquit) *ante thronum & in conspectu agni & palmæ in manibus eorum.* Illis

scili-

ſcilicet non niſi ut ad virtutis apicem, ita ad ſublime DEIq; throno affine ſubſellium patere aditum, qui ad illud per victrices palmas quas de ſe, carne, mundo, ac inferno reportant, Appiam ſibi ſternunt triumphalem.

Pari ratione ſicut ad lectulum Salomonis regiiq; lateris proximum Satellitium non alios adlegere licuit, quàm qui ſe eximiâ præ aliis fortitudine probaverant: *Sexaginta* (inquit) *fortes ex fortiſſimis Iſraël ambiunt lectulum Salomonis tenentes gladios in manibus.* Non diſſimilem utiq; eſſe ſublimioris ſanctimoniæ majeſtatem & pompam: videlicet ad hujus etiam diviniq; cordis adita, non cuivis acceſſum eſſe, niſi quos heroica virtus, excellens ſui victoria reddit celebratiſſimos. Ita ut hic etiam (quod alibi ſuperiùs allatum) locum habeat quod de Alexandro Macedone in Curtio legimus: Hic cum in Sogdiana Regione rupem inacceſſam, & à 30. armatorum millibus infeſſam obſidens, irriſus ab Arrimaze rupis præfecto rogatusq; : *An Alexander volare poſſit? faciam ait proxima nocte, ut credas Macedones volare.* Et ſi mundanæ virtuti, certè non minus ſanctioribus heroibus nihil inacceſſum. Cant: .

Ita ut etiam dum ii heroes arduis insistunt operibus, non tantum quidquam difficultatis in eo non reputent, sed etiam ludi adinstar habeant: uti de Davide Ecclesiasticus: *Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in ursis similiter fecit.* Quis vero hic lusus? luctari pugnare cum feris, extremo vitam obiicere discrimini? Nisi quod Religiosi heroes eo usq; in heroica vitæ ratione debeant proficere, ut pro æquo illis sit difficillima peragere certamina, ac ludicris animum distrahere exercitiis. Uti quoq; de Samsone Sacer textus Jud: 14. *Dilaceravit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu:* Ubi par in lacerando leone ac in hædo facilitas discerpendo. Non minus quàm dum Hercules tot illa famosissima monstra facili negotio sterneret. Aut quod de Honorio Cæsare adhuc infante Claudianus: *Reptasti per scuta puer, Regumq; feroces exuviæ tibi ludus erant.*

Facilitas in exercitio actuum heroicorum apud viros heroicos

Quid ille supra relatus? de quo Apocal: 6. *Exivit vincens ut vinceret.* Cui scilicet prodeunti in arenam, ipsæ in limine occurrebant victoriæ, ipsumq; exire ad prælium, vincere fuit. Adinstar Julii Cæsaris de se illud jactantis: *Veni, vidi, vici.* Et

Et iis defacto ivêre passibus tot insigniores DEI servi. Hàc iter fuit quem jam diximus Patri credentium Abrahamo: præter immolationem filii, illud etiam DEI mandatum heroicè implenti: *Egredere de terra tua, & de cogitatione tua, de domo Patris tui.* Hàc iter paternis pressum vestigiis, non minus heroico animo ad sui immolationem præbenti jugulum Isaaco. Hàc iter (ut omittam plures alios) post tot certamina cum Angelo etiam victoriosè luctanti Jacobo.

Non memoro hic recentiores novi testamenti Athletas. Non memoro tot gloriosissimos quarumcunq; religionum & statuum heròés. Non memoro nostræ etiam Societatis antesignanum Ignatium, per ærumnas, ludibria, vincula, verbera, & asperrima quæq; ad eam metam contendentem. Non memoro Xaverium, innumerosq; quoscunq; alios juratis votis in heroica incumbentes certamina. Cum quibus si nos quoq; idem tenere bravium voluerimus, vitam nobis heroicam vivere, continuisq; nostri victoriis non annos tantum aut menses diesq; sed horas etiam illorum exemplo distinguere necesse est.

ADHORTATIO VIII.

Sublimitas Sanctimoniæ à sublimitate intentionis in quibusvis actionibus.

QUoniam nobis Religiosa sanctitas ex Ascetarum sensu cujuspiam adinstar fabricæ ac ædificii, imò ædificium quoddam spirituale est: ideo sicut structuræ cujuslibet moles, per tot sui partes & constitutiva quibus componitur, assurgit & crescit: ita etiam non pauca sint necesse, per quæ, eadem nostra sanctitas sese porrigat in sublime. Si quid tamen illam sursum erigit; certè vix aliud magis, quàm intentionis omnibus Religiosis actionibus præfigendæ sublimitas. Ab hac igitur, nostræ sublimitatem non parum provehi Sanctimoniæ, inpræsens declaremus.

Satis illud in Scholis proclamatum novimus: ut malitiam ita & bonitatem actus externi ab actu interno desumi, ideoq; illud consequenter sentiendum est, nostrorum sublimitatem operum à sublimitate intentionis derivari. Proinde hinc etiam nostræ excellentiam Sanctimoniæ æstimandam esse. Idq; juxta il-

lud

lud Christi in Evangelio: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* Ubi quis non videat quantus hìc ab uno oculo totius corporis fulgor? Per hunc autem (oculum videlicet) intentionem, per corpus totam hominis conscientiam, seu integram virtutis & Sanctimoniæ Symmetriam Sacri interpretes intelligunt. Unde palam est, quantum ab unius intentionis excellentia totus religiosus homo in se derivet Sanctitatis splendorem; quô toti cælo terræq; conspicuus appareat.

Hanc vero ipsam veritatem eximie adumbratam videre est Apocal. 6. *Vidi* (inquit Joannes.) *ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens ut vinceret:* Symmachus extrema textus ejusdem legit: *Habebat arcum & tetigit circulum.* Et sane quotquot in hac vita degimus, in arcu & sagitta militamus. Intellectum & voluntatem arcum dicimus, sagittam intentionem, quà quisquis coronam sublimioris sanctimoniæ nititur apprehendere, in circulum collimet necesse est, eumq; non alium quàm DEUM ipsum. DEUS utiq; juxta veteres: *Circulus est, cujus centrum ubiq;, peri-*

pheria

pheria nusquam. Parum itaq; fit, telum hoc noſtrum in terrena mundanaq́, dirigere, parum ultra terram metam illi conſtituere ac definire, parum aerem, hoc eſt vanitatis Symbolum verberare. Parum inter ſigna uſq; Zodiaci, in amphora præſertim, hoceſt in Symbolo cujuscunq; ſenſualis voluptatis & commodi conſiſtere. Parum, ipſum etiam ferire ſolem: ultra ſolem cœlumq; Scopus deſignandus eſt, in ipſo DEO ac circulo æternitatis defigendus, infra DEUM temporalia ſpernenda omnia. Et certe ſi Godefredo Bullonio gloriæ & eximii ominis fuerat, in aere tres ſimul alites, uni eidemq; induiſſe ſagittæ: aut cuipiam alteri, uno telo leporem, piſcem & hirundinem confixiſſe. Sublimioris Sanctimoniæ ſequacibus non minor gloria, ſi ad ſupremum DEItatis circulum rectà colliment: in illoq; ſuæ intentionis tela defigant.

Ad inſtar laudatiſſimæ apud Salomonem mulieris: *Digiti* (inquit) *ejus apprehenderunt fuſum:* ad quod Hugo Card: *Per fuſum rectitudinem intentionis intellige, per quam electi omnia opera, quaſi quædam fila in orbem æternitatis retorquent:* Fila inquam (ut addo)

ex ſe tenuia ac vilia, vel ſic tamen in ipſum degeneratura aurum: Uti etiam S. Liberia virgo frondere colum ſuam vidit ſeu flores producere. Amphiarai autem cujuſdam telũ in ſublime jactũ indeq; delapſum in laurum effloruiſſe proditur.

Non aliter hic: quàm Sponſa in Canticis egerit, quæ non alio ſuum oculum, hoc eſt intentionem, quàm ad ipſum cor Sponſi direxit: ita ut illud idem Sponſus proclamârit: *Vulneraſti cor meum Sponſa in uno oculorum tuorum.* Et defacto non pauca alia fuerant eo digna aſpectu hujus Sponſi decora. Ac inprimis pedes pretioſo marmore auroq; divites: manus etiam pariter plenæ illicijs, ut pote aureæ quoq;, hyacinthisq; onuſtæ: nec tamen in his illa obtutum defixit. Jam faciem quot Charites, quot venuſtates inſederant? Neq; eo verſa ipſius lumina. Tandem ipſum caput non quovis auro, ſed optimo, ac Salomonicâ inprimis Sapientiâ, totq; aliis fulgebat inſignibus. Et hoc quoq; oculum Sponſæ non traxit. Unum ſibi cor ſtare in meta voluit. Atq; ſic nos erudiit: noſtrarum etiam intentionum non alium omnino eſſe debere ſcopum, quàm ipſius adita divini cordis. Idq; meliori ac feliciori longè ſucceſſu

quàm dum quidam sagittarius teste Olao Magno lib. 25. videns ab adversario in se directum arcum, triplici sagittâ sumptâ ita prævertit ictum, ut primâ cor, alterâ manum, tertiâ applicatam nervo sagittam tetigerit. Procul verò ab illa impietate, quâ Filii Regis Cymmeriorum cor sibi paternum, telis in illud directis, proposuerunt in metam.

Quo autem collimavit ille? qui de semet apud Prophetam: *Posuit me* (inquit) *sicut sagittam electam, in Pharetra sua abscondit me: & dixit mihi: servus meus es tu, quia in te gloriabor.* En quid illum eo sublimitatis atq; apud DEUM æstimationis ac pretii provexit? Si non directissima semper in omnibus mentis ac voluntatis ad eundem DEUM collimatio. Certè enim illam selectissimam ac æstimatissimam sagittam vel aliud quodcunq; jaculum seu sclopetum dicimus, quod à suo scopo novit aberrare nunquam. In quo ita felix fuerat Elius Verus, ut quidquid oculo destinasset, sagittâ configeret.

Isai: 49.

Nec alio certè sesuaq; omnia direxerat ille, qui in illud prorupit: *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi:* Regi

utiq;

utiq; cœli & terræ: nec cuipiam alteri. Sicuti mos apud Persas fuit, ut profecturi ad bellum singuli sagittam suo nomine inscriptam ad pedes Regis abiicerent: quæ postea reducibus à bello, adscripto Regis nomine reddebantur.

Alioquin si extra DEUM alio nosmet cum nostris intentionibus direxerimus, parem indubiè Domitiano muscas in pariete configenti crysim merebimur; ipsâ etiam infeliciores araneâ, quæ tot laborum ac ipsorum quoq; viscerum impendiis vile nonnisi muscarum vulgus venatur. Certè enim vix alia nobilior præter muscas eorum præda, qui solis terrenis mundanisq; præmiis ac solatiis intenti, à supremo sese rerum omnium auctore & scopo avertunt.

Justa olim Elisæi contra Joam Regem fuerat indignatio, quod tribus nonnisi vicibus terram jaculo percusserit, toties Syriam triumphaturus. At justior longè in eos, qui in terra fixis oculis, cœlum ac DEUM turpi inertia negligunt, ut mundi ac temporalium potiantur: insignissimos alioquin de spiritualibus quibusvis hostibus triumphos acturi, ipsumq; supremæ sanctitatis & gloriæ conscensuri Capitolium. Nempe si aversis à terra luminibus

4. Reg. 13.

totam suæ intentionis vim sursum converterent. Illius adinstar sagittæ de qua apud Poëtam: *Parva sagitta quidem sed cœlum fertur ad usq;.*

Sic visus est egisse David cùm è pera sumens lapidem ac in fundam deponens non aliter ipsum Philistæi caput feriit, quàm quod hanc ipsam fundam à terra elevans, & ab ipsamet boni temporalis privatiq; asservatrice pera elongans, in gyrum seu circulum, DEI ac æternitatis Symbolum eandem circumegerit: atq; ita sibi præluserit ad coronam. Cujus imò excellentioris omnino, si qui, certè ii compotes sunt, quorum mens per sublimes intentiones ultra terrena quæcunq; se elevans ipsi cælo se infert: ipsis talibus intentionibus in coronam degenerantibus. Uti Julius Cæsar ex 130. sagittis quas Tribunus quidam suo scuto in prælio infixas illi attulerat, coronam componi jussit, eaq; Tribunum illum exornavit.

Verum quam misera etiam eorundem terrenorum possessio! scimus quid egerint, quove suos conatus protulerint, celebres illi suo errore ædificatores turris Babel: *Faciamus* (inquiunt) *Civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum, & celebremus nomen nostrum.*

ſtrum. En quanta hîc impendia, quanta ſtructuræ ſublimtas? Sed quid hæc profuit, in ea, quam ſibi præfixêre intentionis humilitate vaniſſima; ita ut quantum ſeſe moles illa ſupra provehere debuit, tantum infra jacuerit, ſolâ vanitate tumens intentio. Utinam illi ſui proprii obliti nominis, altius ad divini celebrationem auctoris ſe erexiſſent, nec tam pro altitudine ſtructuræ illius, quàm pro ſublimitate intentionis laborâſſent. Certè minus inde laboris ac impendii, plus emolumenti & gloriæ collegiſſent. Sed quia de ſuo tantum evanido nomine famaq; poſthuma, cura illis ſollicita fuerat, ideo nihil ultra præter eam, quam ea turris, ab eis exædificanda prætulit confuſionem, retulêre. Parum diſſimili ſorte ab ea quam Heliogabalus ex ſua pretioſiſſimis ab auro & margaritis impenſis in eum finem exſtructa turri retulit, ut ſemet ingruente ineluctabili periculo ex ea præcipitaret deorſum. Certè enim in quæ nos quoq; & in quanta deviæ à debito ſcopo intentiones ruere faciunt præcipitia? idq; utinam non ad confuſionem ſempiternam!

Felicior longè eorum conditio, qui egregio ſui terrenorumq; neglectu, toto ſe in-

tuitu ad DEUM obvertunt: ita ut hic locum habeat quod David de ſagitta Jonathæ: *Sagitta* (inquit) *Jonathæ nunquam rediit retroſum.* Intentiones videlicet ad terrena ac temporalia directæ, illis ſagittis ſunt non abſimiles, quæ in aerem emiſſæ, vix aliquantulo per volatum emenſo ſpatio, inanes & vacuæ retro deorſum redeunt: ſecus intentiones, quibus rectà in DEUM ferimur. Hæ ſcilicet, ita ad cor DEI usq; penetrant, ut in ejus pariter, ac eximiæ Sanctimoniæ poſſeſſionem ingenti æternorum lucro deveniant. Si Abaris ſcytha tantum curſu valuit, ut emiſſam è ſuo arcu aſſequeretur ſagittam: certè ſuarum intentionum ad ſublimem quemcunq; ſcopum directores, planè non minus celeri curſu cum iiſdem ſuis intentionibus eundem ſcopum, ſimulq; par illis præmium attingunt. Ita ut hic etiam locum habeat, quod cuidam adſcriptum ſagittæ: *Conſequitur quodcunq; petit.*

Et hoc nobis omnino tum alii quicunq; tot digniſſimi æquè ac ſanctiſſimi, tum etiam Pater noſter Diviniſſimus Ignatius impenſiſſimé commendat, toties inculcando, ut rectam in omnibus intentionem habere ſtudeamus,

mus, ut in omnibus quæramus DEUM, ut ubiq; majoris DEI gloriæ habeamus intuitum. Commendat inquam velut quodam hic etiam cum Divo gentium Apostolo instituto certamine. Ille enim suis edicere contentus, ut omnia ad gloriam DEI facerent: noster verò sanctissimus Pater non quamcunq; sed majorem ac majorem DEI gloriam spectandam voluit: ac sibi necnon quibuscunq; excellentioris Sanctimoniæ sectatoribus proposuit.

Nec aliis sese tot viri sive aliunde sive è Societate nostra Apostolici rexêre principiis: non aliud in tot exhaustis à se laboribus, adversis ærumnisq; quàm unicam ejusdem DEI spectando gloriam & gustum. Juxta illud quod Psaltes enuntiat: *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem.* Suos nimirum servos DEVS igneos esse voluit, ut semper quocunq; loco & officio fuerint, sursum ferantur, heroici, mundi terrenorumq; contemptores, ignis adinstar, quem quocunq; loco reposueris, semper eodem nisu ad cœlum tendit, nec non sublimia spectat.

Idemq; ipsum nobis etiam agendum est, planeq; nova instituenda Gygantonomachia,

quâ

quâ terrenis posthabitis, ipsoq; DEO pro meta & scopo nobismet proposito, divinum cor ejus, sublimium intentionum spiculis feriamus: urgente etiam nos ad id Apostolo ac dicente; *Quæ sursum sunt quærite, ubi est Christus in dextera DEI sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

ADHORTATIO IX.

Non vulgarem Sãctimoniam in perfecto passionum dominio consistere.

NOn parum jam sanctitatem Religiosam proveximus in sublime. Adhuc tamen est quò ascendat. Quis enim crederet, mediocri posse esse contentam fastigio, quæ caput cœlo inferens, solo DEO inferiorem se censet. Imò intra divina sese eaq; principalia attributa includit & continet. Passiones itaq; perfecto compressæ dominio scalam illi efficiunt, per quam sese erigat sublimiùs. Quanquam per hos etiam gradus nobismet ipsis in idem virtutis sublime ascensus est. Quod ut amplius pateat: idipsum nobis materia præsentis dictio-

nis

nis esto: qua non vulgarem quia dominatricem ac Reginam sanctitatem eo ipso proclamabimus: dum omnium victricem exhibebimus passionum.

Pridem illud etiam apud Gentiles proclamatum: domitorem passionum ac Regem idem esse. Hinc illud Pòétæ: *Latius regnes avidum domando spiritum, quàm si Lybiam remotis Gadibus jungas, & uterq; Pœnus serviat uni.* Imò *tunc omnia jure tenebis cum poteris Rex esse tui.* Ita quondam Sinesius: *Illud profectò primarium, ac summè regium est, sui ipsius regem esse; mentemq; domesticæ belluæ quasi moderatricem præficere.*

Inde est quod Christus apud Lucam in Evangelio: *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*: apud Matthæum vero idem legitur. *Multi Prophetæ & justi.* Ad quod Vener: Beda: *Ipsi enim sunt Reges magni, qui tentationum suarum motibus, non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.* Idemq; est quod alibi in Evangelio: *Quis rex iturus committere bellum adversus alium Regem &c.* Ad quod S. Eucherius Lugdunensis Episc: *Rex est unusquisq; fidelis, qui*

se ipsum & virtutum exercitium bene regere novit. Et defacto prædominantes passiones & affectus Reges sunt: sed ille Rex tantò major tantoq; augustior atq; ut ita dicam: *Rex Regum & Dominus Dominantium,* quisquis hisce Regibus jugo imposito didicerit dominari: Juxta illud ad Caim: *Subter te erit appetitus tuus. Et tu dominaberis illius.*

Regnū tamen hoc non de hoc mundo regnū esse quis nesciat? Terrâ scilicet & mundo altius, ultra cœlum (ut toties diximus) sese terrenorum contemptu porrigit, DEI ipsius throno affine. Regnum inquam istud est non plebeiæ virtutis & Sanctimoniæ, Regnum intra nosmetipsos; ad quod inter cætera per edomitas passiones ascenditur.

Thronus illius planè Salomonicus ad
3. Reg 10. quem inter leunculos & leones per gradus dispositos ascensus fuerat. Leunculi verò illi non sævi non rugientes erant, sed taciturni, sed modesti, & quasi edomiti, ac mansuefacti: nempe ex ebore auroq; effícti, quietissimè absq; ulla feritatis nota, suis gradibus insistentes. Et certè effrenes passiones quid aliud, quam feri leones sunt: si tamen comprimantur ac edomen-

mentur, thronum dominatricis Sanctimoniæ, eximiè adornant, ad illumq́; ascensum admodum speciosum & magnificum efficiunt: ita ut verius quàm de throno Salomonis, *non sit factum tale opus in universis regnis*. Planè leones hi edentuli sunt, quales olim Nero in suos aulicos immiserat ut illuderet, plusq́; illis metus inanis incuteret, quàm noxæ. Aut inter quales Daniel in specu delituerat, quorum ora concluserat Angelus, ut plus gloriæ quam nocumenti afferrent, magisq́; conspicuam redderent Danielis tum innocentiam, tum sanctitatem. Et ita omnino comprimendæ passiones sunt, ut edomitæ non tantum non noceant, sed prosint. Non aliter quàm Leo ille Samsonicus, Sævus inprimis & rugiens, extremamq́; Samsoni perniciem minitans: Sed postquam devictus est, favum mellis ore proferens. Ita scilicet vividæ in nobis passiones in nosmet ipsos efferascunt & sæviunt, sed profligatæ, dulces nobis admodum virtutum ac meritorum favos progenerant ac propinant. Unde illud Christi Apocal: 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Vincenti dabo manna absconditum.*

Psalm. 90. Non immerito Psaltes admonet: *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Tot videlicet feræ hoc est virulentæ passiones nobis etiam calcandæ sunt; ut nos in sublime virtutis attollant cæloq; ipsi inferant. Nec aliter quàm instratis his ipsis edomitorum affectuum monstris, Religiosa instruenda Appia: quæ nos egregios nostri victores in ipsum Sanctimoniæ regnatricis Capitolium deducat. Uti hujus ipsius nos admonet S. Hipponensis Præsul (Sermon: 176. in fine) *Ipso affectu pariter & profectu ascendamus etiam per vitia ac passiones nostras. Si utiq; unusquisq; nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere. Elevabunt nos si fuerint infra nos.*

At verò similis etiam hîc sanctitatis Thronus esto illi sedi Apocalypticæ, de qua in eadem Apocalypsi Joannes: *In conspectu sedis* Apocal. 4. *mare vitreum simile crystallo:* Noster Cornelius addit: *Id est pacificum & tranquillum.* Ita nimirum omni perturbatione & confusione erat vacuum, ita compositum & quietum, ut in sua tranquillitate & malacia adinstar vitri crystal-

lini ad fundum usq; summa perspicuitate claresceret. Atq; sic per illud ad supremæ quia divinæ sanctitatis sedem iter esset. *In conspectu sedis mare vitreum.* Quid verò aliud nostrarum motus passionum & affectuum sunt, quàm inquietum, turbulentum, omni amaritudine despumans, mille infestis belluis ac monstris refertum, sexcentis corporis & animæ fatale naufragiis æquor. Quodsi tamen hasce animi nostri perturbationes ac procellas composuerimus, quod si hoc idem mare passionatæ mentis, rectæ rationis vinculis comprehensum, ad integram reduxerimus malaciam, quodsi immanes hasce belluas & monstra edomuerimus; viam nobis ad thronum Sanctimoniæ per quam augustam seipso efficiet. Longè feliciori exitu, quàm cùm Xerxes Hellesponto compedes iniecisset. Aut cùm Princeps Goldingæ in gratiam pugnatoris terra mariq; pro Dania contra Suecos Stephani Czarniecii jussisset depingi navem, in cujus malo Corona Regia cum Lemmate: *Post sanguinis æquor.*

Videamus enim quisnam sedem illam Apocalypticam insederit? Non alius profectô, quam mansuetissimus præ omnibus animanti- *Apocal. 5.*

 bus

bus agnus ; *agnus* (inquam) *tanquam occisus*, hoc est omni ex parte ab intus & ab extra perfectissimè mortificatus ideoq; omni passione pænè vacuus. *Et vidi & ecce in medio throni agnum stantem tanquam occisum.* Nec alius quispiam ibidem ad arcana libri septem signaculis signati admissus: Non alteri acclamatum: *Dignus est accipere virtutem & divinitatem & gloriam.* Ut vel inde facile constet, non aliis virtutis & gloriæ eminentiam, non aliis reconditorum mysteriorum adita ac ipsius quoq́, divinioris Sanctimoniæ thronum expeditius patere, quam quos perfecta passionum mortificatio agnos exhibet tanquam occisos. Quod autem ibidem eidem throno & agno astitêre 4. animalia? an non hæc præcipuas quatuor passiones easq; edomitas designant egregiè? Quid enim per Leonem quàm passionem Iræ: quid per aquilam quàm superbiam ac elationem, quid per bovem, quàm appetitum ad terrena sensualem, quid per hominem carne vestitum quàm concupiscentias eidem carni agnatas intelligimus. En tamen ista in ornamentum & gloriam ejusdem throni & agni abiêre.

Nec verò aliunde corona etiam Sanctimoniæ texitur: *Veni* (inquit Sponsus ad Sponsam) *de Libano coronaberis, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum* En quot hic de efferatissimis belluis, earumq; de occupatis destructisq; spelæis victoriæ in coronam abiêre; ita ut non dispari quoq; diademate conspicua apparuerit mulier Apocaliptica: *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Ex Pöëtis utiq; novimus ferarum plerasq; in numerum stellarum relatas. Et si hoc vanissimum fabulæ commentum: certè illud veritatis ipsius effatum, insolentes passionum feras si edomentur, degenerare in stellas: effingiq; in Coronas. Uti quispiam Princeps Regi Galliarum Effigiem Temperantiæ tres Coronas in manu deferentis obtulerat, cum ea inscriptione: *Iram, voluptatem, gaudium, si temperaveris, Coronaberis.* Cant: 4.

Hinc quoq; est quod justos in scriptura Soli comparatos legimus. Quàm enim pulchrè quàm conspicuè sol effulget, non tantum inter innocuas virgines, geminos, olores, agnos, sed inter Martes etiam, Saturnos, Veneres, Leones, Hydras, Scorpiones Ursos, cor-

nupe-

nupetas tauros; Nempe hic etiam fera profanaq; ad speciem phænomena, adeo innocua ac edomita sunt, ut nomen nonnisi Leonum, Scorpionum, cæterorumq; ejusdem generis retineant, non genium ac feritatem, ideoq; nec cœlum infament vel obscurent, sed tanto magis illuminent, longeq; pulcherrimum ipsimet soli utpote Principi siderum præbeant satellitium. Uti & illæ caliginosæ nubes, inter quas refulgenti adscriptum soli: *Me nubila victa coronant.*

Neq; alius fuerat inter cicuratissima animantia in paradyso, ubi tunc eximia floruit sanctitas ac innocentia, Adami status. Non alia Noe in arca, inter tot feras, ibidem inclusi vivendi ratio. Non alius deniq; *Orpheus in Sylvis inter Delphinas Arion.* Hoc ipsum inter miros advenientis in mundum Messiæ effectus referente Propheta; *Habitabit lupus cum* Isaiæ, 11. *agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur, puer parvulus minabit eos.* Id autem ingentis adinstar prodigii ac virtutis nec minoris gloriæ futurum erat. Ut non omittam quatuor illa Ezechielis animalia, quæ currum gloriæ divinæ sub cœlum usq; evexere. Per hæc autem S. Macarius *Mortificatas*

ficatas animæ passiones intelligit, quæ nos longè sublimius quam Romanos triumphatores, albentes equi seu Elephanti uti Julium Cæsarem in Capitolium, vel Sesostrem devicti junctiq; currui Reges, devehunt ac deportant.

Imò eo nos redigunt, ut postquam illas devicerimus, nihil nobis amplius invictum maneat: uti illi Apocalyptico triumphatori de quo jam alibi toties: *Habebat arcum & exivit vincens ut vinceret.* Quid verò aliud est vincere ut vincas, quàm totaliter debellare, ac subigere passiones, ut cætera vincas omnia. Et vinces procul dubio facilè si te ipsum viceris. Viceris inquam velut ad internecionem usq; earundem passionum. Pleriq; enim ita vincunt, ut postea vincantur, vel remissione, vel præsumtione, ac præfidentia, vel acriore tentatione, vel alio quovis modo, à casu scilicet resurgentibus, ac velut reviviscentibus iisdem passionibus ad nostram ulteriorem cladem. Conterendæ igitur pænitùs velut vitulus ille Israëliticus in pulverem redactus: aut certe adinstar immolantis victimas suas Sapientiæ, veluti ferro & igne abolendæ. Alioquin nec in perpetuum vinces, nec divinioris Sapientiæ domum perduces ad Apocal. 6.

fastigium. Quodsi verò passiones nostras Gigantibus illis apud Pöëtas celeberrimis comparare voluerimus: & hi certè debellandi atterendiq; omnino Gigantes sunt, si in securo sublimioris Sanctimoniæ dominatum ac regnum habere voluerimus. Nam etiam: *Cœlumq; suo servire Tonanti nonnisi sævorum potuit post bella Gigantum.* Nec lapis ille Propheticus, celebris illius ex pluribus metallis compositæ triumphator statuæ crevisset in montem: si non simul in eadem statua principales in capitales lapsus ac peccata hominem protrudentes passiones pænitùs contrivisset. In capite scilicet passionem superbiæ, in oculis passionem Jnvidiæ, in manibus passionem Avaritiæ, in pectore ac præcordiis passionem Iræ, in ventre passionem Gulæ, in femoribus passionem Luxuriæ, in pedibus passionem Acediæ. Proinde insuper etiam eo nobis modo hîc quo apud Esdram (uti supra de heroicis actibus diximus) murus Jerusalem educebatur, procedendum. Nempè velut unâ manu tenendus gladius ad subjugandos hosce nostros hostes, alterâ circa construendam Sanctimoniæ fabricam laborandum.

Quanquam advertite, ad quam nos edomiti planè passionum motus sortem usq; efferant? Nempe non ad humanam tantum, vel humanâ aliquanto majorem, sed ad divinam etiam DEIq; ipsius vicariam. Uti DEUS ad Moysen mitissimum virorum: *Constitui te DEUM Pharaonis.* Ad quod Ambrosius: *Etenim victor passionum omnium mentem regens, carnem subiiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine DEI vocatus est.* Exod: 7.

Hinc est quod Psaltes sensit de DEO eumq; allocutus: *Domine quis similis tibi? tu dominaris potestati maris & motum fluctuum tu mitigas.* Hoc enim planè divinum est, turbulentum passionum æquor nosse compescere. Proinde illud erat Divi Indiarum Apostoli edictum (uti in ejus vita lib. 6 cap. 4 legimus) *Spectatur virtus ex sui ipsius victoria, & turbulentorum animi motuum cupiditatumq; sedatione magis, quam ex specie quadam pietatis.*

Nec aliò proinde nobis etiam aspirandum, illâ nobis propositâ sorte, ut plebeia sanctitatis conditione non contenti, ad regiam usq; magnis ausibus enitamur: ejus ipsius facilè compotes futuri, si jugo passionum nostra-

rum excusso, illas ipsas nobismet servire & obsequi coëgerimus.

ADHORTATIO X.

Excellentia Sanctimoniæ ab omnigeno virtutum ornatu.

POst tot & tanta de sublimitate Sanctimoniæ pronuntiata, nondum absolvimus omnia. Ea scilicet est hujus materiæ amplitudo ipsiusq; talis sanctitatis ratio, ut multis non contenta, cuncta complecti velit ac debeat. Quid ergo adhuc ad supremæ virtutis desideramus apicem? Certè non aliud: quàm omnia. Illud enim inpræsens dicturi sumus: Excellentiam Sanctimoniæ haberi ab omnigeno virtutum apparatu ornatuq;.

Sicuti rarus admodum, qui suo non careat nævo, ita longè rarior, cui inter eximias easq; numerosas dotes aliquid non desit. Non ita scilicet nos sive natura, sive fortuna, sive gratia dotavit, ut non alicujus saltem fecerit laborare inopiâ. Quod de telluris fecunditate protulit quispiam: *Non omnis fert omnia tellus*, hoc de insignissimis etiam quibusq; hominibus censen-

censendum est: Nempe nullum ita excellentibus splendere dotibus, ut omnibus abundet.

Atq; ex eo ipso nos quoq; illi Sanctimoniæ raritatem & excellentiam adstruimus, ad illamq; nosmet toties adhortamur; quæ ita se virtutibus spectabilem exhibeat, ut nulla ei deesse videatur.

An non talem Psaltes exhibuit de quo illud ex ore Principum cælestium prolocutus: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Sanctus verò Gregorius Nyssenus Orat: de Ascen: Domini subdit: *Qui* (inquit) *summatim omnia in se colligit.* Acsi Regem gloriæ in sublimitate Sanctimoniæ ceu in throno collocatum, non aliud quàm omnium virtutum deceret collectio, ac satellitium. Psalm. 23.

Adumbrata ea ipsa talis sanctitas velut in Symbolo in veste Aaronica: de qua Sap: 18. *In veste poderis erat totus orbis terrarum.* Verùm quid Aaroni, quid Mystæ ad Aram sanctiorem procedenti, cum mundo, cum terra? Cœlum tunc potius, imò Angelum, Mystam induere, totum quod mundanum terrenumq; esset ac ipsum etiam minimum pulverem excutere decuerat. Nisi quod apud Cornelium à

Lapi: idem textus in hæc verba legitur: *Omnigenus ornatus tunicæ, qua induebatur inerat.* Et certe ſic decebat ſummum Antiſtitem ornari, ut hic exterior cultus, interioris Sanctimoniæ foret indicium. Defacto enim illa verè excellens ſanctitas eſt, illa ſupremo Antiſtite, illa DEO Arisq; digna, quæ omni virtutum apparatu ornatuq; conſpicua.

Nec diſſimili forſitan veſtimento nituit Psalm. 44. Regina illa de qua Pſaltes: *Adſtitit Regina à dextris tuis circumdata varietate.* Ubi parum illi viſum eſt, auro, id eſt aurea charitate eaq; principali virtute veſtiri: niſi pulchram ſimul omnium virtutum varietatem circumquaq; indueret: atq; ſic ſupremum Sanctimoniæ obtineret principatum: *Adſtitit* (inquit) *Regina.*

Uti & illa de qua Salomon: *Quæ eſt* Cant: 3. *quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus, myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii.* O quot hæc etiam anima odoramentis dives fuerat! Sed videte interim quantum ſe hac in parte ambitioſam præſtitit? Nimirum, nec myrrhâ ſolâ, nec thure neq; pluribus aromatibus contenta, omnes univerſi pulveris pigmentarii thecas ac theſau-

ros in sui ornatum exhausit. Locupletissimo documento, simile quid in studio Sanctimoniæ nobis agendum esse: scilicet ut non satis sit unius vel alterius virtutis imò plurium etiam possessionem capere: nisi tota virtutum universitas manu teneatur.

Nec aliud fortassis in sua Sulamite idem Salomon advertit dùm de illa pronuntiaret: *Quid videbis in Sulamite nisi Choros castrorum: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te:* Unde vero in una, tot & tanta, nempe integri castrorum apparatus Equitatusq; spectari potuerant? D. Ambrosius hunc locum DEIparæ attribuens, in hæc verba ait: *Ne mireris unam equitatùs multitudini assimilatam, si advertas quantæ in ipsa una, quæ tam sancta sit, virtutum acies habeantur.* Et hoc planè est, excellenti, ad quam eniti debemus Sanctimoniâ fulgere: nempe ad exemplum Divinissimæ Virginis, adeò nihil virtutis intermittendo, ut velut inter Choros Castrorum, aut innumeros equitatus consistere, totos intra nos exercitus circumferre videamur. Juxta illud ejusdem: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quod enim defacto arma- Cant. 6.

menta-

mentarium esset, quod intra se, unum & alterum armorum genus, & non totam bellicam omnis generis supellectilem reconderet. Quis ille exercitus, qui uno & altero centenario militum constaret. Quod illud perfectum ædificium, cui vel tectum, vel atrium, vel fenestræ, vel aliud quidpiam deesset. Quis ille omnibus numeris absolutus homo, cui vel unus desideraretur oculus, sive manus digitusve. Et si hæc quæ diximus haud perfecta integraq; censemus, certè & illa Sanctimonia, omnino manca censenda esset, cui deesset vel una virtus. Præsertim cùm etiam *Sulamitis* apud Interpretes idem sonet, quod *Perfecta.*

Hinc de cœlis ac de terra post creationem eorundem Sacer textus: *Perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Unde verò ea ipsorum tam absoluta perfectio? certè non aliunde, nisi ab eo ipso omnigeno, à natura illis convenienti ornatu: in quo si quid defuisset, quis eam cœlo ac terræ perfectionem attribueret? Atq; non alia etiam in homine religioso perfectionis summitas, quàm quæ omnem virtutum ornatum velut quædam Pandora complectitur.

Uti quoq; de Onia Pontifice Eccles. 50. Lunæ assimilato: *Quasi luna plena in diebus suis*. Certè enim vix quidquam aliud animam plenitudine virtutum refulgentem adumbrat exactiùs; quàm eadem ipsa in suo Plenilunio existens luna; quæ ita tunc suum adimplet orbem, ut illi ad plenitudinem nihil deesse videatur.

Nec alio fortassis titulo Iris etiam Apocal: 4. usq; ad viciniam throni Divini admissa: *Iris erat in circuitu sedis*. Nisi quòd cùm aliàs juxta Plinium lib. 1. cap. 59. *Nunquam nisi dimidiâ circuli forma* apparet: Hîc totum circulum impleverit, sedemq; DEI totam in circuitu cinxerit, in nullo quoad perfectionem ejusdem circuli deficiens. Prout etiam Ezechiel: 1. Ubi circa sedentem in throno (sic enim Cornelius à Lap: explicat) *Visio aspectûs arcûs, cùm fuerit in nube in die pluviæ: hic erat aspectus splendoris per gyrum*, id est in circuitu: eò quòd hîc arcus iste scilicet Iris, plenum ac perfectum circulum faciens, ita thronum ac in eo considentem ambiret pulcherrimè. Atq; in hoc ipso est plenissimæ, proindeq; ipsi DEI throno affinis Symbolum Sanctimoniæ,

Uti in eo quoq; , quod ſicut Iridem, vel ipſa colorum pæne omnium collectio reddit ſpectabilem : Namq; juxta Poëtam *mille trahit varios adverſo Sole colores.* Sic hominem Religioſum, imò quemcunq; etiam alium, ſimilis omnium collectio virtutum, ipſi quoq; ejuſdem DEI Solio propiùs admovet, ac in oculis totius cœli facit eximiè conſpicuum.

Et hoc fortè angebat Pſaltem dum diceret : *Notum fac mihi Domine numerum dierum meorum, ut ſciam quid deſit mihi.* Noluit videlicet aliter ſe, ex hac vita tranſiens, in conſpectum DEI Judicis ſiſtere, niſi in pleno integroq; virtutum omnium ſatellitio.

Idem de ſe proteſtatus in Evangelio Chriſtus: *Sic nos* (inquit) *decet adimplere omnem Juſtitiam.* Certé enim cùm ille ex diſcipulis quæreret: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* illiq; reſponderent: *Joannem Baptiſtam, Eliam, Jeremiam, aut unum ex Prophetis*, id non aliò ſpectabat, niſi quod horum omnium & aliorum quorumcunq; , ac proinde omnes in eodem Chriſto elucerent virtutes. Apoſtolus autem in Epiſtola Catholica omnes primævos Chriſtianos atq; noſmet

etiam

etiam ipsos absq; exceptione admonuit: *Vt sitis* (inquit) *perfecti & integri in nullo deficientes.* Ita ut hic planè locum genuinum habeat, verèq; dici de nobis possit quod de Solone apud Lucianum aliisq; adulatoriè aut hyperbolicè prolatum: *Omnia jam viso Solone conspexistis.*

Et certè si hæc fuerat aliquando ipsorum Ethnicorum laus, ut illis omnium virtutum attribueretur compendium. Uti olim apud Suetonium Germanico: *Omnes* (inquit) *Germanico virtutes, quantas nemini cuiquam contigisse satis constat.* De Cosso quoq; Velleius Paterculus: *Cossus in omnia virtutum exempla genitus.* Tum etiam Pòéta de quopiam: *Virtus ivit omnis in unum.* Quidni Religiosus sublimioris Sanctimoniæ sectator eâ laude careat? ut velut *virtutum omnium latissimum templum* (quod Cassiodorus de quopiam) in Cœli DEIq; conspectu appareat.

Quidni ejus anima eo virtutum resplendeat ornatu, quo cælestis Jerusalem in oculis Divi Joannis refulsit: *Vidi* (inquit) *Civitatem sanctam Jerusalem paratam sicut Sponsam ornatam viro suo.* Quid enim ibi, si Joanni Apocal. 21.

totam quanta fuit describenti credimus, ad ornamentum defuit? præsertim cùm illam non aliter quàm in persona Neo-Sponsæ, in quam ordinariè omnis ornatus congeritur, exhibuerit.

Idq; certé ipsum nobis etiam sedulò laborandum, ut si cælesti Jerusalem pro dignitate desponsari voluerimus, non dissimili nos ad cælestes nuptias comparemus impendio. Quodsi vero id defuerit, meritò illud, de quo Christus in Evangelio, extimescamus repudium: *Nisi Justitia vestra abundaverit, &c. non intrabitis in Regnum Cœlorum.*

ADHORTATIO XI.

Sublimitas Sanctimoniæ à possessione gradus supremi in omni virtute.

CUm excellentiam Sanctimoniæ in plena omnigenarum constituerimus virtutum collectione, ornatuq;, videri poteramus, jam nos absolvisse omnia. Et ecce ultra hæc, nova se nobis evolvit materia, ejusdemq; Sanctimoniæ sublimitas. Ita ut illud nobis etiam convenire videatur, quod de Alexandro Ma-

cedo-

cedone Seneca: *Inventus est qui desideraret aliquid post omnia.* Et quamvis in illo, somniantis id ambitionis fuerit: in nobis certè legitimum & practicum promovendæ ad apicem virtutis studium. Quid vero tamen illud est quod omnium virtutum collectioni posset superaddi? Profectò non aliud quàm supremi gradus in omni virtute acquisitio ac possessio. Et hoc mihi inpræsens pro fastigio sublimioris suggerendum ponendumq; Sanctimoniæ.

Non unum est cui spiritualis in virtutibus profectus assimilari possit. Undecunq; tamen ducat similitudinem, facilè suggeret argumentum: non modico Sanctimoniam laborare defectu; si ea post thesaurizatam & aggregatam sibi omnium virtutum collectionem, ad supremos earum gradus non ascenderit.

Atq; sic inprimis virtutis perfectionem cogitemus velut sublimem multis onustam fructibus arborem. uti nescio quem imaginatus in persona Sponsi Salomon dum diceret: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Cant. 7.
Et certè haud ignobile ejusdem virtutis in palma Symbolum. Tum quòd sicut ea arduo in sui ascensu septa corticè, sic virtus in arduo

ſita. Tum quod ſicut palma ſub pondere creſcit, ita virtutis eſt ſub neſcio quibus adverſorum ærumnarumq; ictibus & machinis tantò altiùs aſſurgere & attolli. Illud verò præcipuum; quod ſicut hæc ipſa arbor in ſummo ramorum ſuorum faſtigio fructus progenerat, & enutrit, ita ut nequaquam quidpiam oblectamenti, guſtui tuo ex ea capias, ni in ejus verticem evaſeris: ita planè haud perfectionis ſummam, perfectorumq; integra ſolatia & gloriam apprehendes; ni ſupremum cujuscunq; virtutis gradum & apicem tenueris.

Quodſi ſub vineæ ſimilitudine perfectionem Sanctimoniæ exhibere voluerimus? Videamus quomodo quispiam circa ejusdem vineæ propagationem proceſſerit? *Homo erat Paterfamilias* (ait Chriſtus Matth. 21.) *qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim* Turrim inquam non domum quampiam, non aulam, non palatium. Et hoc eſt utiq; perfectionis fabricam conſtruentium: ut ſcilicet turres nonniſi ædificent hoc eſt in gradu ſublimi virtutes. Quanquam quod illud eſſet quodcunq; licet perfectum ædificium, cui ad conſummationem, ſeu tectum ſeu tegulæ deeſſent. Sic

Sic Propheta Dominum ſtantem ſuper murum exhibuit ſimulq́; : *Trullam Cæmentarii in manu ejus.* Ad quid verò illa? Utiq́; jam murus in ſuo eſſe conſtiterat? Niſi quod adhuc ejus integritati ac ſummitati defuerat addendum aliquid. Hinc nè eo etiam laboraret defectu, trullam illi Dominus applicuit: ut ad faſtigium omnimodè perduceret; doceretq́; parem in perfectione virtutis rationem ſervandam eſſe, omnemq́; illi ſummitatem, ne in quo gradu deficiat adhibendam. *Amos: 7.*

Inde forſitan eſt quod Apocal: 21. Angelus aſſumpſerit *Menſuram arundineam auream qua metiretur Civitatem* Cæleſtem Jeruſalem. Hancq́; ipſam velut noſtræ perfectionis typum & exemplar monſtraret. Ad quid autem ibi ea dimenſio? certè non aliò ſpectabat, niſi ut manifeſtum eſſet illam cæleſtem ſtructuram ita omnibus numeris abſolutam, ut illi aut nihil omnino ſive ad latitudinem ſive ad ſublimitatem defuerit: aut ſi defuiſſet quidpiam, id quàm primùm divinæ manus potentiâ ſuppleretur, perfectaq́; donaretur ſummitate.

Et quia Divus Gentium Apoſtolus virtutis ac perfectionis ſtudium velut curſui ac

certamini Olympico comparat: *Certamen* (inquit) *certavi cursum consummavi: In reliquo reposita est mihi corona Justitiæ?* Hinc id ipsum patet, quantum ea perfectio absolutissima esse debeat in omnibus: ut coronam justitiæ mereatur. Certè enim nec ille in Olympicis præmium sui cursus obtinuisset qui vel uno gradu à meta distaret aliumq; sibi permisisset anteire. Ideo idem Apostolus admonet: *Sic currite ut comprehendatis.*

Videre id ipsum velut in speculo liceat in mari illo crystallino de quo Apocal: 4 *In conspectu sedis mare vitreum simile crystallo.* Quid namq; obstat quominus per illud aut intelligatur aut adumbretur virtutis cursus. Certè enim sicut totum usq; ad littus mare enavigandum est, ut portum desideratum apprehendas & teneas: ita tota virtutum quoad omnes gradus absolvenda perfectio, ut sedem & solium Regnatricis Sanctimoniæ occupes. *In conspectu* (inquit) *sedis, mare.*

Sex gradus thronus recensebat Salomonicus. Quis verò illum insedisset vel uno superiore gradu non conscenso? Quoniam autem virtutes etiam Religiosæ similibus gradibus

bus constant? Quisnam oro non omnibus illorum iisq; præsertim altioribus superatis ad sublime Sanctimoniæ ascensus?

Scalæ Jacobo Patriarchæ monstratæ in terra stanti cœlum contingenti, quis prohibeat Religiosam perfectionem conferre? Uti verò nec ibi Cælum quisquam conscendisset, si non se usq; ad gradum extulisset supremum; ita nec ille summam perfectionis obtineret; si quis ad summum virtutis gradum non pertingeret.

Ascensiones quispiam seu ut alii volunt *gradus* apud Psaltem *disposuit in corde suo.* Nec dubium quod hi, virtutum de facto fuère gradus, itaq; dispositi, ut desideraretur nullus. Alias nihil laudis extraordinariæ dispositor hic meruisset.

Uti nec laudasset Sponsa Sponsi vestigia, si non se eo extendissent, ut non tantum propius ad montium juga adrepsissent, sed etiam summa eorum transiliissent fastigia: *Saliens* (inquit) *in montibus, transiliens colles.* Cùm hæc ipsa sit stadium virtutis decurrentium laus; ut parum sit illis clivum Sanctimoniæ quomodocunq; occupare ac tenere, nisi in summo ejus *Cant: 2.*

consistant, ac etiam collem ipsum & apicem transiliant.

Studeant hîc naturam ipsam imitari: quæ ita suos effingit fœtus, ut nihil in illis debitæ quoad omnia perfectionis desideretur: ita adamussim efformat omnia, nè etiam capiti pilus desit, Et si deesset aliquid, jam eo ipso monstrum, non naturæ opus esset.

Atq; hoc ipsum in Encomiis Sponso à Sponsa accumulatis clarius eluxit. Ita illa omnes in eum congessit laudes, ita omnia ejus membra convenientibus exornavit elogiis, ut supra caput ipsum altius ascendens, pilos etiam non sine exaggerata laude transierit: *Comæ ejus* (inquit) *sicut elatæ palmarum*: Hoc ipso commonstrans, nihil illi pænitus ad consummatam pulchritudinem & gloriam defuisse. Et si ea tantaq; circa naturales dotes accuratio & elaboratio, quanta certè circa super naturalem animi culturam habenda esset?

Cant: 6.

Neq; caruere eâ ipsâ defacto tum complures alii ex quocunq; etiam statu tum potissimum Religiosæ vocationis homines: uti inter alios Sanctus quoq; Pater noster Ignatius de quo Venerabilis Pater Nicolaus Lancicius teste P.

Balbi-

Balbino in vita ejuſdem P. Lancicii dicere erat ſolitus : *S. Patrem Ignatium omnium virtutum habitus in gradu altiſſimo tenuiſſe.* Non abſimile quid de Patre Thoma Sanchez in ejus vita legitur : ſcilicet quod & ille, *nullam virtutem non in ſummo tenebat faſtigio.* In illud planè recidit quod de Hierone Rege Ægypti Pindarus Pòëta Græcus : *Ex ſingulis* (inquit) *virtutibus ſolas decerpebat ſummitates.*

Illudq; omnino ſtudioſis perfectionis Religioſæ ſpectandum eſt. Si ſummum uti Sanctimoniæ, ita & gloriæ apicem tenere voluerint.

ADHORTATIO XII.

Non vulgaris id eſt docta non rudis Sanctimonia. Seu Excellentia Sanctimoniæ à conjunctione cum doctrina.

TOt gradus ſanctitatis emenſi, nondum ejus apicem attigimus. Ita ut quidquid de illa hactenus protulimus, rude ac incultum merito videri poſſit. Etſi enim pleraq; ſatis excelſa ſatisq; ſublimia novimus, hæc eadem tamen, ſua non raro laborare ruditate, indige-

re culturâ perſpeximus. Sic ſpectare ſolenne eſt in urbibus excelſas turres ac ædificia ſed rudia ſed deformia. Sic in Sylvis proceras, ſed gibboſas quercus, incultas pinus. Nec alia ſæpenumero ſanctitatis viciſſitudo. An non enim rudem ac ruſticam ſanctitatem audiimus? Hodie igitur illa nobis non vulgaris ſanctitas eſto, quæ docta, quæ omni ſcientiâ exculta, quæ cujuscunq; ruditatis expers.

Quantum in quacunq; ratione, & ſtatu ſcientia ac doctrina valeat; cuicunq; vel modicè tincto literis, abundè conſtat. Hinc Thales apud Laertium lib. 1. rogatus: *Quis eſſet felix?* reſpondit: *Qui corpore ſanus eſſet, animo eruditus.* Socrates autem cùm interrogaretur: *Quodnam eſſet pulcherrimum animal? Homo* (inquit) *doctrinâ ornatus.* Hinc Glycon ajebat: Doctrinam eſſe *Sacrum aſylum omnium hominum.* Ut non omittam Salomonem, quidnam de Sapientia ac Doctrina abunde ſenſerit? *Præpoſui* (inquit) *illam Regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius &c.* E contra de rudibus ac indoctis Cleanthes dicere ſolitus: *Homines imperitos ſolâ formâ differre à beſtiis:* Ariſtoteles verò interrogatus:

Qua

Quare different docti ab indoctis? responsum reddidit: *Qua vivi à mortuis.* Inde est, quòd præfatus Socrates divitem stultum videns dixerit: *Ecce aureum mancipium:* Item alium: *Hic est equus argento ornatus* Alphonsus etiam Aragoniæ appellavit ejusmodi *vellus aureum.*

Jam quoad rationem virtutis? certè & hîc non modici eadem doctrina ponderis & pretii: ita ut etiam de eodem suo pondere, & pretio eidem virtuti non parum addat, absq; se autem eam quodammodo vilescere faciat.

Proinde Rudem ac indoctam Sanctitatem, non omnino raram in mundo esse, facilè quisq; intelliget, si in promiscuam hominum conditionem, ac in rusticas etiam casas oculum conjecerit. Ubi insigni plurimos cum Isidoro florere Sanctimoniâ, non raro conspicimus; ita ut inde ipsa etiam sanctissima Religionum instituta, habeant quod erubescant.

Illa itaq; nobis rarior, illa excellentior ac pretiosior præ aliis, Sanctitas est quæ docta, quæ scientiâ exculta: idq; comprobante D. Hieronymo: *Agrestis* (inquit) *sanctitas, sancta rusticitas, est inferior docta sanctitate.*

Hanc tamen interim duplicem cogitemus. Prima ſit: quæ non ſimplices, & obvios ſed excellentiſſimos quosq; & exquiſitos admodum, tum ab ingenio divini amoris petitos magnisq; DEI ſervis conformes, operandi DEUMq; colendi ſectatur modos ac induſtrias. Altera autem in unione multiplicis doctrinæ ac ſcientiæ cum virtute conſiſtens.

Docta Sanctitas, id eſt exquiſitis operans Deūq; colens induſtriis & modis.

De Prima eaq; docta ſanctitate Sap: 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Quæ verò hæc ſcientia, ſi non eximiis quibusq; induſtriis expolita ſanctitas. Alia ſcilicet eſt ſcientia Sanctorum à ſcientia profana, à ſcientia mundi. Illa curioſè ſcrutandis rerum naturalium ſive ultranaturalium eſſentiis ac naturis immerſa: hæc practicæ rerum divinarum DEIq; ipſius cognitioni & amori, nec non excellentiſſimo circa hæc operandi modo intenta: eademq; ipſa eſt, quam nunc oculis exhibemus, docta nec ideo vulgaris ſanctitas.

De hac Eccl: 44. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum annuntiet Eccleſia.* De Sapientia videlicet profana, imò de rudi etiam Sanctimonia non eſt tantopere quod orbis & populi loquantur, quod prædicent,

dicent, quòd laudibus efferant. Sola Sapientior sanctitas, & Sapientia Sanctorum (utpotè aliquid non obvium nec vulgare) digna non ore tantum, cujuscunq; populi, hoc est populari aliquo elogio sed ipsius Ecclesiæ encomiis, & laudibus celebrari.

Non frustra admonet Psaltes: *Psallite DEO nostro, psallite Sapienter.* Non satis nimirum DEO utcunq; psallere, id est, ejus sese laudi & glorificationi impendere. Sapienter omnino psallendum est. Cùm enim idem DEUS, non tantum omni sanctitate, sed infinitâ etiam Sapientiâ polleat; ideo à nobis quoq; non rudem sibi glorificationem & obsequium vult exhiberi ac impendi.

DEUS (inquit scriptura) *scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes:* 1. Reg. 2.
acsi dixisset: Cum DEUS ac Dominus noster omnis ut ita dicam ruditatis sit expers, imò omnium sit scientiarum Princeps, Dominus & auctor; ideò non rudibus quoq; & obviis sed præparatis eximiè, præmeditatis elaboratisq; admodum cogitationibus ac industriis colendus est.

Hinc illud in Evangelio: *Diliges Dominum*

minum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, ex tota mente tua. Verum quid dilectioni ad intellectum ad mentem? Mens quippe seu intellectus cogitationum conceptuum cognitionum non amoris potentia est. Quod enim *ex toto corde* DEUS jubeatur diligi, inde est, quod cor de facto sit amoris sedes & officina. Quisquis diligitur, corde diligendus est: alioquin non is amor foret, sed hipocrysis execranda. Quod etiam *ex tota anima*? Cùm enim similitudo sit fundamentum amoris, & anima singularius similitudinem ac imaginem DEI referat; quid convenientius, quam ab eadem DEUM ut par est diligi: ultra hoc quod illa mirabili admodum metempsychosi feratur, & transferatur quodammodo in amatum: juxta illud: *Anima ibi magis est ubi amat, quàm ubi animat.* Nec etiam immeritò, omnes vires huic amori jubentur impendi. Tum quòd amor fortis ac robustus sit, omniumq; adversorum victor: tum quod totis viribus totoq; conatu ille congruentissimè sit amandus, qui se totum nostro amori impendit. Jam quid mens quid intellectus ad eandem dilectionem juris habet? Nisi

quod

quod DEUS noſter non corde tantum, aut cæca voluntate, nec rudibus animæ potentiis, brutisq́; viribus, ſed mente etiam ac intellectu, hoc eſt: doctè ſapienter, ſcientificè velit diligi. Et hæc potiſſima non infima nec vulgaris dilectio & ſanctitas eſt: ita ut S. Bernardus affirmaverit; *Ars artium eſt, ars amoris DEI.* Hac arte celeberrimi quiq́; aſcetæ & Sanctiſſimi DEI ſervi claruêre, illamq́; poſthumis tradidêre libellis, hac ipſa inſignem cœlo retulêre gloriam præmiumq́;.

Jam quod ad unionem & vinculum doctrinæ cum virtute? huc illud pertinet Propheticum Iſa: 24.; *In doctrinis glorificate Dominum.* Nempè noſtræ doctrinæ ac ſcientiæ non ad noſtram tantū gloriam, ſed ad divini etiā nominis cultum per conjunctionem cum virtute dirigendæ. Tum quod ex rudiore Sanctimonia modica ſanè DEI glorificatio, aut pæne nulla proveniat. Quodſi doctrina in unionem ſanctitatis venerit; inſignem profectò eidem DEO glorificationem conferat neceſſe. *Vnio Sanctitatis cum doctrina.*

Hinc apud Ezechielem non alteri cuipiam currus gloriæ divinæ, quam quatuor animalibus, hoc eſt Cherubinis ſpiritibus ſingulari

non tantum ſanctitate, ſed & ſcientia pollentibus ſub æthera usq; committitur devehendus.

Imò ipſe etiam DEUS non alibi ſublimem thronum ſibimet defigit, quam ſuper Cherubim, juxta illud Pſalmi: *Qui ſedes ſuper Cherubim* Quaſi defacto doctrinâ ac ſcientiâ Cherubicâ veluti throno ſurſum elevetur.

Niſi quod etiam in Apocal: non alteri cuipiam poſt DEUM thronus defertur quàm agno: *& vidi: & ecce in medio throni agnum.* Agno inquam cui acclamatum: *Dignus eſt agnus accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & honorem, & gloriam.* Agno præterea ultra quem nemo poterat myſterioſum illum aperire librum: Ubi quis non videat quantum hîc virtus cum doctrina evaſerit honorata, quantaq; eo loco harum inter ſe, tum inter ipſam etiam divinitatem, ipſumq; divinum thronum, atq; ſic ampliſſimum honorem & gloriam intercedat conjunctio.

Nè verò Sapientiſſimus ac ſcientiſſimus Salomon hic etiam ſuâ operâ deeſſet: Et ipſe 3. Regum: 29. *Fecit Cherubim & palmas quaſi prominentes de pariete*: Ad quod S. Bruno: *Cherubim ad ſcientiam* (id eſt pertinent). *palmæ*

mæ ad victoriam. Ubi quis non advertat unionem scientiæ cum virtute; cujus potissima pars victoria sui.

Quanquam non aliud Aaronici etiam amictûs perquam excellens ornamentũ esse DEUS voluit quam unionem doctrinæ cum sanctitate. Ideoq; Sacro illi supremi Antistitis pectori *Rationale Judicii* induit, & in hoc ipso *doctrinam ac veritatem* appendit, ut utraq; ibidem arctè socians, idem pectus sacrarium utiq; virtutis, etiam rationali judicii ac doctrinâ adornaret. Exod: 28.

Quale verò ibi capitis etiam insigne? *Facies* (inquit DEUS ad Moysen) *laminam de auro purissimo, & sculpes in ea sanctum Domino, eritq; imminens fronti Pontificis.* Sed quid sancto, quid sanctitati cum capite cum fronte? Cur id potius non pectori appensum? Nisi quod nullibi pulchrius sublimiusq; sanctitas insideat quam capiti quam fronti. Plebeia virtus, satis est cordi vel manibus aut cuicunq; alteri inhæreat, intra pectus lateat. Aaronica, sacerdotalis, Pontificia, ac Princeps Sanctitas caput & frontem, sapientiæ scilicet domicilium occupet, non aliter magis conspicua & sublimis. Exod. 28.

Et id planè eſt cur Diviniſſimus etiam ſpiritus cum Sanctiſſimis ſuis Chariſmatibus, non alio ſeſe quàm ſuper capita Apoſtolorum demiſerit, ut eo ipſo forſan edoceret, ſtrictiſſimam omnino cujuscunq; ſanctitatis cum capite & doctrina unionem ſervandam eſſe: & quidem ita, ut ab hac omnis Sanctimoniæ ſtructura, quam idem S. Spiritus pro tunc in cordibus eorundem Apoſtolorum ædificaturus erat, ornamentum ac ſplendorem derivet, Doctrina ab illa firmitatem & robur. Uti id ipſum Divus Indiarum Apoſtolus lib. 3. Epiſt: 4. docuit ac expreſſit: *Niſi* (inquit) *literis literatisve Domini Spiritus inhabitans præſit, literæ paulo plus detrimenti afferent quam commodi.*

Et certè ſapientia eſt, quæ ſublimem virtutis & Sanctimoniæ arcem erigit: Miſit (inquit Salomon) miſit inquam Sapientia *ancillas ut vocarent ad arcem.* Hac tamen arce ipſamet Sapientia ſe tutatur. Cujus ipſius arcis neglectu quia laborarunt Judæi, ideo ex ipſis etiam divinis literis earumq; ſcientia plus nocumenti quam emolumenti retulere juxta D. Auguſt: Serm. 2. de Epiphan: *Quid aliud hic ſignificavit divina Providentia, niſi apud*

Prov: 9.

Judæos solas divinas literas remansuras, quibus gentes instruerentur, illi excæcarentur.

Nec aliud Zachar: 4. adumbratum, ubi se Propheta eam visionem habuisse testatur: *Vidi ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius.* Et certè illustre hîc unionis doctrinæ cum virtute documentum. Quid enim candelabrum aureum quàm eximiæ Sanctitatis, quid lampas super caput quàm excellentis doctrinæ, & scientiæ Symbolum. Quod nempe candelabrum sine lampade, idem virtus sine scientia: quantumve, candelabro à lampade luminis, tantum virtuti à scientia ornamenti, & splendoris. Utiq; enim de sapientia & doctrina Salomon Sap. 7. *Proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen ejus.* Et vice versa quantum sustentamenti lampadi seu lucernæ à candelabro, tantum scientiæ firmitatis & soliditatis à virtute.

Quid verò Rex Balthasar ad Danielem? *Audivi de te quoniam spiritum deorum habeas, & scientia, intelligentia, ac sapientia, ampliores inventæ sunt in te* Dan: 5. Ubi patenter utrumquè in eodem Daniele scilicet spiritus deorum

diis utiq; agnata virtus, & probitas cum sapientia & scientia gloriosissimè componitur, ad ipsius Danielicæ Sanctimoniæ decus eximium ac splendorem. Quanquam ipsamet etiam Sapientia Prover: 8. de hac ipsa sui cum virtute unione gloriatur: *Mecum* inquiens *sunt divitiæ & justitia: In viis justitiæ ambulo. Arrogantiam & superbiam & viam pravam & os bilingue detestor.*

Daniel: 12. Jam de quo illud scripturæ? *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti & qui erudiunt multos ad justitiam quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cùm è contra in Evangelio fatuarum virginum intaminatæ licet virginitatis virtus, quod accensis lampadibus hoc est doctrinæ luce caruerit, adeo nihili æstimata; ut inter mediæ noctis tenebras relicta, à patria luminum meruerit excludi.

Hæc ipsa unio curatoribus salutis animarum perquam necessaria. Neq; dicamus rudes ac indoctos Apostolos ad prædicandum Christi Evangelium, ad orbis conversionem, ad tot & tanta pro DEI gloria & animarum salute patranda delectos. Hi enim non prius ad eam prædicationem dimissi, quam à S. Spiritu omnibus sanctitatis ac scientiæ donis repleti. Unde illis dictum:

Sedete

Sedete quoadusq; induamini virtute ex alto. Ita ut etiam omnium tunc linguarum notitiâ instructi apparuerint.

Hinc illud etiam, quod Angelus Apocalypticus Divo Joanni nescio cujus reconditæ admodum cælestis eruditionis ac doctrinæ librum porrigens: *Accipe* (inquit) *& devora librum, tum* illico subinferens: *Oportet te Prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.* Proindeq; eo ipso edocens, quanta sit ad conversionem etiam & salutem animarum scientiæ necessitas. Et quidem ut non sit satis eandem primis ut ajunt degustare labris: insuper quasi de integro absorbenda ac devoranda omnino: ita ut velut cibus, quodammodo in substantiam aliti transeat. Utiq; nec Propheta Jerem: 1. injunctam sibi prædicationem ob inscitiam suscipere ausus inquiens: *a a a Domine DEUS ecce nescio loqui:* Neq; Prover: 1. cuiquam alteri quàm sapientiæ, onus Prædicationis delatum: *Sapientia foris prædicat &c.*

Et hæc defacto doctrinæ cum virtute unio: hæc inquam rudem alioquin orbem erudivit ac illuminavit ad fidem ac justitiam, hæc

erro-

errorum gentilium tenebras profligavit, hæreses & schismata subegit, tot SS. Doctoribus lauream in cœlo doctoralem contulit. Hac unione Præclarissimi tot Religionum inclaruêre Fundatores, hanc à se fundatis iisdem Religionibus velut pretiosis inseruêre annulis vel coronis, ab hac tot celebratissima universo orbe in tot cætibus Religiosis prodiere Sanctimoniæ & Doctrinæ numina: hac tandem nostri etiam Primævi Patres pretiosi & fortes totq; hostium & adversorum extitere victores: hac DEI gloriam provexere in immensum, hac nobis posteris præluxêre ad imitationem, ad exemplum, req; ipsa demonstrarunt, nimis pestiferum Licinii effatum literas appellantis *pestem Reipublicæ*: Tum & illam nimis vanam Neronis comploratjonem: *Vtinam* inquiebat ille *Literas non nossem!* Cùm defacto nostri Prææduces id palam ostenderint, quod in scientia, in literis, eluceat nitor ac splendor Sanctimoniæ, vigor virtutis, robur Ecclesiæ, vita orbis.



AD-

ADHORTATIO XIII.

Excellentia Sanctimoniæ ab umbra seu occulto operandi modo.

SI quo, certè Sanctitate nihil illustrius: ita ut hæc non quoscunq; splendores sed illustrissimos quoq; Regum titulos non tantum exæquet sed etiam longè superet. Hinc unus sanctitatis titulus, supra omnes alios in summo Ecclesiæ capite tantum eminet, ut idem ipse orbem totum Christianum collustrare videatur. Nec immerito Divus Joannes Baptista insignio-ri præ aliis sanctitate conspicuus, non aliunde quàm à luce nomen obtinuit: *Erat lucerna ardens & lucens.* Imò quotquot virtutis glo-riâ effulgent, eo ipso in Soles vel stellas scripturæ testimonio degeneraturi sunt, Et sic defacto nos etiam tot inter splendores nostræ rationem sanctitatis hactenus exhibuimus, ac nuper quoq; non parum illi à doctrina lucis accendimus. Quis tamen inter hæc crederet umbram sancti-tati amicam? & ita quidem ut ab hac ipsa sui splendoris augmentum capiat. Cùm defacto illa nobis præsentis materia dictionis futura sit:

quòd nostra sanctitas non parum excellentiæ derivet ab umbra hoc est occulto operandi modo.

Quod proceræ moles, majoraq; lumina umbram suam habeant, non ignotum est. Sic magni montes turresq; aut arbores, sic ipse Sol non sine umbra. Sic olim Rhodius Colossus, ad milliare usq; eandem jaciebat. Imò quo major in terris proceritas, eo majorem umbram extendere consuevit.

Verum quisnam illud profiteri auderet, sive moles sive splendores quoscunq; ab umbra crescere? Illud ego ipsum inpræsens affirmo, dum excellentiam Sanctimoniæ, ab occulto operandi modo suum capere augmentum evinco.

Apocal: primo: Celebris ille vir, qui se Divo Joanni videndum præbuit: *Facies ejus sicut Sol, Oculi ejus tanquam flamma ignis, & habebat in dextera stellas septem.* Ubi quis illum non illustrissimum tantùm, sed etiam serenissimum crederet, qui non igne solum aut stellis, sed sole quoq; toto inclaruit. Sed fuitnè inter hos tantosq; splendores aliquis umbræ locus? Quid dico unius umbræ? Cùm genuinam hîc umbrarum sedem liceat cogitare. Si

quis

quis enim inprimis adultam luce meridiem vellet exprimere, quid aliud quàm ſolem medio cœlo proſpectantem depingeret. Jam ſi quis nocti etiam umbrarum fecundiſſimæ parenti, penicillum admoveret; an non innumera ſtellarum agmina in imaginem transferret? Dum igitur utrumq́; , ſolem videlicet & ſtellas in eo viro Apocalyptico ſecum conferimus: an non in illo diem ſimul noctemq́; umbroſiſſimam velut in unum ſubjectum collectam conſpicimus: & quidem ita ut non tantum umbra tantæ luci non obſuerit; ſed imò, ut quotidiano experimento novimus, eandem intenderit magis. Cùm in ipſa etiam imagine ſereniores colores à vicinia umbræ videantur inclareſcere. Sic Angelus Apocalypticus præter ſolem quoq́; in facie, *amictus nube, Iris in capite ejus:* Ubi an Iridi etiam nubis offecit affinitas? Non enim hæc pulchræ filia lucis, ita ſoli oppoſito ſuas cunas debet; ut nubibus etiam, licet alias ſubobſcuris, ſui ſplendoris non debeat proventum. Et ita ſe omnino tum Angelus hic, tum vir ille mundo ſpectabilem præbuit, eò inſignior, quò pulchrius, admodum mirabiliter utraq́;, lucem videlicet umbramq́; *Apocal. 10.*

intra se colligens, vivam sanctitatis ab occulto operandi modo inclarescenscentis imaginem expressit.

Quanquam non alia illius etiam non minus celebris mulieris Apocalypticæ facies: *Amicta sole, luna sub pedibus ejus, in capite corona stellarum duodecim*: Ubi pariter genuinam diei noctisq; effigiem, aut eximium splendorem & insignem umbram juncta connubio quis non agnoscat? neq; sic eam mulierem aut decrevisse tantillum, aut fulsisse minus. Dum enim ita intra se prædicta congerit, & diem suam intra noctem condit; in oculis divinissimi Joannis grandescit adeò, ut è summo etiam cœlo, ubi primæ alioquin magnitudinis sidera spectatoribus terrigenis in minimas decrescunt faculas & igniculos, magni adinstar signi eximio fætu turgida sese spectandam offerat: *Vidi signum magnum &c.* Atq; etiam usq; ad invidiam tertiam partem stellarum caudâ trahentis draconis luceat. Illustri vel hinc documento: Religiosam Sanctitatem suâ umbrâ non tantùm non obscurari vel minimum; sed imò magis conspicuam reddi. Ita ut hic etiam illud merito accommodari possit quod de se Psaltes: *Nox illuminatio mea.*

Apocal: 12.

Neq;

Neq; frustra Salomonica Sponsa Cant: 2. sese ad umbram confert: *Sub umbra* (inquit) *illius quem desideraveram sedi.* Vix enim eo se contulit, ecce illico quantis refulsit splendoribus: *Quæ est* (inquit) *ista quæ progreditur quasi aurora, pulchra ut luna, electa ut sol.* Nè vero sola hic luce dieq; videatur esse spectabilis, consulto lunam noctis inquilinam, auroramq; ejus sociam advocat; quasi parum esset à sole ornamentum mutuare, nisi etiam in partem hujus ipsius nox veniat & umbra.

Hinc est quod summus quoq; rerum arbiter non aliter primam mundi diem voluit clarescere, quam vespere & mane in unum collatis. *Vespere* (inquit) *& mane dies unus.* Ut omittam eundem ipsum supremum rerum omnium auctorem, quasi sua luce quam inhabitat non contentum, umbram sibi adscicere: idq; sive à nubibus, & caligine quibus undiq; stipatur, sive ab alis Seraphin quibus tegitur: *Dominus*, (inquit Psaltes) *regnavit, nubes & caligo in circuitu.* Tum Propheta: Duabus inquit *alis velabant faciem, duabus pedes ejus.* Et ecce tamen hîc regiâ simul tanto splendidius illum dignitate fulgêre: *Dominus regnavit:*

Sublimiori ſolio honorari: *Vidi Dominum* (inquit ibidem Sacer Vates) *ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* Nec ideo alias etiam Cunas idem ipſe Dominus ſui ab æterno Unigeniti eſſe voluit: *In ſplendoribus* (inquit) *ante Luciferum genui te.* Acſi non ſatis eſſet in ſplendoribus illum naſci, niſi ante Luciferum, hoc eſt quaſi obſtetricante, diei prodroma dictosq; ſplendores quaſi intendente nocte ederetur. Hæc autem eo ſpectant omnia, ut inde palam ſit, occultiore quoq; operandi modo non inumbrari, ſed illuſtrari ſanctitatem, ſublimemq; magis magisq; attolli: Juxta illud quod univerſim Poëta: *Qui totus potuit latere major habetur.* Qualis ille Cato de quo Hiſtoricus: *Homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio diis quam hominibus propior: Qui nunquam rectè fecit ut facere videretur.* Quaſi inde gloriam & lucem colligens, ubi ſe in noctem & umbram, ut oculos lateret, profundius abdebat. Ac ſi plane hîc locum haberet, quod de quopiam: *Nunquam tam celeber ni latuiſſet erat:* Quanquam & *ipſe ſe ſua Titan prohibet videri luce.*

Ita hîc omnino sicut de Messia Psaltes: *Qui ascendit super occasum*: Ubi non oriens nec meridies, sed umbrosus occidens ascensum splendoremq; confert: qui alioquin noctem mundo inferens, solem ipsum usq; ad antipodas præcipitat.

Et certè sicut plerosq; ipsa lux & apricum quandoq; inumbrat, ut olim illum de quo Elogiastes: *Clarior futurus si fuisset obscurior*: ita non paucos feliciori longè successu nox & umbra in lucem & gloriam protrudit: quod de Bruti Cassiiq; imaginibus Historicus: *Brutus* (inquit) *& Cassius magis conspicui, quia non visebantur*. De Carolo autem 5to quispiam: *Major* (inquit) *in Eremo quàm in Imperio*. Jam Divus Hieronymus, *Virtus publicum timet, de suo latibulo gloriosius scintillat.*

Quod si verò aliis, ipsisq; gentilibus tanti fuerat vitæ occultioris umbra: quantis hæc oro induit splendoribus religiosos sanctitatis sectatores: inter quos Divinissimus Benedictus, de quo S. Gregorius lib. 2 Dialog: *Solus in superni Spectatoris oculis habitavit secum.* Nec tamen solus ex quo inter tot luminum & gloriæ satellitia. Sic ille de quo in sua extasi S.

Magda-

Magdalena de Pazzis proclamaverat : *O quan-tam gloriam habet Aloysius, quia intus opera-batur.* Intus inquam non extra, ubi illum lux & oculus inveniret, quem etsi fugeret, non effugit, sed imò ampliavit gloriam. Uti de quatuor Propheticis animalibus de quibus illud : *Manus eorum sub pennis.* Quas dum sic cum suis eximiis operibus velut in umbra condunt, eo pulchrius *in similitudinem fulguris coruscantis* resplendent.

Ezechiel: 17. Planè hîc adinstar illius Propheticæ Aquilæ, quæ cùm extra *plena plumis & varietate* esset, ad solitudinem & umbram Libani sese contulit, ut non corticem, sed *medullam Cedri*, id est intimioris & occultioris Sanctimoniæ Symbolum tolleret : illos egregiè exprimens, qui simili sanctitate, & umbra delectantur illoq; sese Principio regunt : *Satis publicus est, quem Cœlum videt.* Aut effato stoici : *Tutior est in secreto virtus.*

Id verò ipsum longè insignius præstitit sole luna stellis conspicua mulier, cui cum *datæ*
Apocal. 12. *essent alæ duæ* non cujuscunq; avis, sed *aquilæ* & quidem *magnæ* ? non illis evolavit sub solem : sed potius ad hoc eisdem usa, ut velut

lucis pertæsa è cœli consistentia se transferret in desertum, & solitudinem. Ut vel hinc edi-scas, nihil excellentius, quam dum luces insi-gniter, talentisq́; eximiis velut alis majoris aquilæ sub solem attolleris, tantæ luci umbram & angulum quærere, alisq́; iisdem non ad vo-landum, sed ad latendum uti, non sub sidera in lucem, sed in obscurum latibulum deferri. Uti & illi Reges Consulesq́; ad quorum sortem aspirans Job illud ex voto prolocutus: *Vtinam dormirem & somno meo requiescerem cum Re-gibus & Consulibus terræ, qui sibi ædificant so-litudines*: in quibus suos splendores recondant. Invidenda etiam Job sanctissimo sorte simulq́; veritatem oraculi nostri Præpositi Generalis Joan: Pauli Oliva comprobante: *Principes* (inquit) *animæ splendoribus solitudinem quæ-runt*: An non tamen simul in solem incidunt?

Ut non omittam illum de quo Psaltes: *Psal: 17.* *Ascendit* (inquit) *super Cherubim, volavit super pennas ventorum.* Audi verò quid se-quitur: *Posuit tenebras latibulum suum.* Nem-pe pulchrum est, sic etiam suos splendores con-dere. Quo tamen id exitu? ecce additur: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt.*

 Inten-

Intendi videlicet lucem umbrâ non adimi. Uti in sole contingit, qui dum *intrepidus* (loquor cum Zenone Veronensi) *intra noctis cognatæ sepulchrum*, se condit; eo pulchrior ac nitidior ad posteræ diei exortum velut in Erythræo lotus emergit Quanquam id etiam fuit quod suis aliquando splendoribus veluti saccum cilicinum induerit: *Factus sicut saccus cilicinus.* Apocal: Ubi tamen illi idem inscribi potuit, quod sub nube latenti: *Lateo non minuor.* Seu, *Clarior post nubila.*

Nec vero fundamentis cælestis Jerosolymæ in Apocalypsi à Joanne descriptæ, intra profundum more solito sepultis quidquam ea ipsa sepultura obfuit: cùm & sic insignissimorum lapidum ornatu fulserint: *Fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioso ornata.* Et ita dum amant pretiosa latere, eò magis pretiosa sunt; ita ut latendo, in Jaspides, Saphiros, Chalcedonios, Smaragdos degenerent.

Quod ipsum de amicis DEI Psaltes: *Nimis honorati sunt amici tui DEUS* : alii legunt *absconditi*, *nimis rari*, *nimis pretiosi*: Ac si honorem, raritatem, pretium commodarent ab umbra. Evidenti hujus ipsius quod initio pro-

propoſuimus documento: nempe non aliunde pulchriùs ſanctimoniam, quam ab umbra ſeu occultiore operandi modo inclareſcere.

ADHORTATIO XIV.

Sublimis Sanctitas quæ multum laborioſa.

EXimiam ſatis hactenus ſublimemq; admodum, usq; ad faſtigium eduximus Sanctimoniam. Providimus eidem, etiam à doctrina culturam & ornatum. Interim tamen adhuc non omnino integram & ceu mutilam ac mancam, ſi docta ſit tantum, & non laborioſa, cogitemus. Ut igitur omnibus numeris maneat abſoluta, & velut membris omnibus integra, manus ei easq; multum operoſas affingamus. Ea nempe meo ſenſu excellens ſanctitas, quæ multum laborioſa, otioſa nequaquam.

Quocunq; vocabulo Religioſam vitam exornaverimus; ſemper labori obnoxiam, ab otio comperiemus alienam. Proclamemus illam terram promiſſionis. An non etiam ibi laborum pugnarumq; campus? Vocemus Paradiſum terreſtrem. An non etiam ibidem,

Primus homo Adam otii & non laboris gratia à DEO collocatus? *Posuit* (inquit Sacer textus) *DEVS hominem in Paradiso ut operaretur.* Nominemus Regnum quoddam Divini Servitii: *Servire namq; DEO, regnare est.* An non in Regno quoq; parva laborum sudorumq; seges? Hinc Plinius cùm inquisivisset causam, cur primis seculis tanta telluris fecunditas frugumq; ubertas fuerit: id responsi adnexuit: *Tantæ causa ubertatis erat, quod ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, gaudente terra vomere laureato & aratore triumphali.* De Rege quoq; Dejotaro Cicero: *Non solum Tetrarcha nobilis, sed optimus Paterfamilias & diligentissimus agricola & pecuarius habebatur.* Alexandri verò apud Plutarchum vox erat: *Nihil magis regium esse quàm laborare.* Annumeremus insuper vitam Religiosam vitæ Angelicæ. An non Angelis quoq; labor ingenitus & non otium? Administratorii utiq; spiritus sunt, ad ministeria non Creatoris tantum, sed ipsarum quoq; creaturarum, deputati. Dicamus tandem Religionem Diviniorem quandam vitam. An non de DEO ipso illud Christi: *Pater meus Agricola operatur usq; modo.*

Neq;

Neq; vero ullus de sublimiore sibi blandiatur Sanctimonia; si laboris expers inerti otio indulgeat.

Cherubicos spiritus eosq; pennatos Propheta aspexit, sed non sine manibus: *Manus* (inquit) *hominis, sub pennis eorum.* Acsi nec evolare in sublime liceret absq; manuum, id est: operationis laborisq; adminiculo. Sic Ladislaus Rex Bohemiæ pro Symbolo depinxerat columnæ diadema impositum, ad quod homo alatus eluctabatur capessendum, cum Lemmate: *Vel sic enitar:* Nec enim ad excellentioris etiam virtutis fastigium expeditior evolandi modus, quàm vitæ laboriosæ suffragio? Quanquam mihi credite nolle me viros Religiosos esse alatos nonnisi, ut solummodo volent nec manus habeant ad operandum. Aut illis Angelis non absimiles, qui solo capite & facie tenus, alati pinguntur, ita ut ne unguis quidem digiti ex alarum tegmine appareat. Noluit quispiam: *Se cum illis rem velle habere, qui plus saperent palato, quam corde.* Corde inquam ad operandum resoluto ac strenuo. Cui verò arrideat otiosa, soloq; capite ac ore, aut solis alis pollens Sanctimonia? Nisi forte illi mu-

Laboriosa Sanctitas. Ezechiel: 1.

 scæ,

ſcæ, cujus Nomine S. Franciſcus Aſſiſias otio deditos appellabat: quæ cùm in ſapidiſſima fercula involet, delicatiſſimos delibet liquores, nihil præterea laborat unquam. Aut etiam illis fucis, de quibus nonnemo: *Eam infortunatam aſſerens Rempub: in qua quod apes elaborant, fuci iidem devorant.* Devorant inquam omnem gloriam & famam per alios partam.

Si vera excellensq; nec mediocris virtus eſt: vigiliis, laboribus, ſudoribusq; nutriri, propagari, conſervari debet. Imò hoc ipſum talis, id eſt ſublimis Sanctimoniæ nota & Character eſt: *Altitudo* (inquit Pſaltes) *manus ſuas levavit.* Si enim remiſſis manibus ſit, Altitudo non eſt. Ex quo Saul humero laborum onerumq; capaci ſupra omnem populum eminuit, eo ipſo à Samuele *nulli ſimilis* proclamatus.

Iſſachar quoq; dum in benedictione paterna non ſegnis ſed *fortis*, id eſt: oneribus laboribusq; innutritus, *aſinus* nominatur, diciturq; *Suppoſuiſſe humerum ad portandum*, ſimul enuntiatur *accubuiſſe inter terminos, terræq; optimæ* particeps evaſiſſe. Nec verò quiſquam alius ſperet ſe intra ſublimioris terminos

minos constiturum Sanctimoniæ, fortisq; eximiæ futurum compotem, ni pari studio vitæ laboriosæ insuescat. Cùm etiam de Justo illud Sapient: 10. quod *DEUS honestaverit illum in laboribus & compleverit labores illius*: compleverit inquam non alio, quàm eximio præmio, gloria, & donis suis: honestaverit autem, hoc est: honoratum reddiderit corā Deo & hominibus. Utiq; etiam apud Poëtam non aliud Herculem, quàm *duri celebrant labores, &c.* Idemq; etiam *pretium rursus ultimi cœlum meruit laboris.*

Regnum quoq; ipsum unde oro Josepho Patriarchæ à Patre Jacobo imputatum? *Numquid Rex noster eris?* Si non à manipulis, quos ligare, circaq; illos suam operam & laborem impendere sibi videbatur. *Putabam* (inquit) *nos ligare manipulos in agro*: Hinc verò etiam eo usq; dignitatis processit, ut eum sol & luna & stellæ adorarent. Nec alia Jacobi Patriarchæ Sors, qui certè non sub alia allegoria cumulum summumq; benedictionis paternæ obtinuit, quàm sub allegoria multis laboribus exculti agri: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Et hinc ultra tot privilegia, totq; fortunæ in Jacobum congestæ. Ut vel inde Genes: 37.

quisq;

quisq; Religiosus intelligat, se non aliter Regnum virtutis occupaturum, ipsaq; etiam sidera ac cælestes planetas, donorum & Sanctimoniæ superaturum splendore, quàm si laboriosis negotiis prius inclarescat.

Non aliud forsitan Propheticum inter 4 animalia bovem currui gloriæ DEI admovit, non aliud Cherubicis spiritibus annumeravit, & homini, leoni, aquilæ æquari fecit, non aliud ad evolandum in sublime sex alas addidit, non aliud ad thronum usq; DEI (uti in Apocal: legimus) extulit, quàm ipsa natura labori assueta.

Unde etiam throno Salomonico ex utraq; ejusdem parte adjunctæ manus: *Duæ manus hinc & inde tenentes sedile.* Insuper *duo Leones juxta manus singulas.* Idq; pro documento: heroicè laboriosis manibus quas nulli labores & onera terreant, ipsisq; heroicis invictisq; laboribus, uti quemcunq; thronum, ita etiam sublimioris principatum Sanctimoniæ parari, custodiri, conservari teneriq; Nec immerito apud Ægyptios teste Sabellico is eligendi Regis mos erat, ut post prævias ejus interrogationes: *Essetne Pius? essetne justus? essetne*

esset ne liberalis? Hæc tandem sequeretur & concluderet: *Essetne laboriosus?* Acsi parum videretur esse liberalem justum pium. Apud Peruanos vero is in Regem eligebatur, qui ex cumulo lignorum, grandissimum suis humeris in palatium deportaret.

Nec aliunde certè magnorum meritorum ac præmii prouentus. Quis enim apud Psaltem onustos messe manipulos cœlo intulit? *Venientes autem venient portantes, manipulos suos.* Si non illi qui laboriosè excultæ telluri grana inferentes, eam sudoribus simul & lacrymis prius irrigarunt: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Plane hic locum habet quod Prov: 10. Salomon: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*: Et has non terrenas tantum sed etiam cælestes ac æternas.

Sat bene nonnemo exhibenti sibi cuipiam sua clenodia annulos torques lapides pretiosos, gemmas, reposuit, dixitq; se duos nonnisi habere simplices lapides, qui sibi unum & alterum mille in annum conferrent, adeoq; pluris illos, quàm has & tantas opes se æstimare. Et cùm hæc diceret, duos lapides molares, tot

proventuum obstetricante labore progenitores indigitavit. Ut vel inde pateat: nescio quæ virtutum insignia nihil aut saltem parvi esse ad gratiarum proventum præmiumq; æternum sibi & proximis comparandum absq; laboris impendio. Ita Proverb: 14. *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* Ita S. Franciscus Xaverius lib. 5. Epist: 3. edixit: *Vnusquisq;* (inquit) *laboribus maxime spectatus erit, ita plurimum sibi & aliis proderit.*

Labor sine cessatione & quiete.

Verum quisnam in laboriosa vita obeunda servandus modus? Certè non alius quam qui omnem cessationem omnem quietem proscribat. Qualis ille de quo ejusq; operosa admodum manu in Apocal: *Habebat in dextera sua stellas septem* hoc est principales Planetas, quorum irrequietus absq; ulla cessatione cursus & labor. Uti Soli irrequietè pariter suam Sphæram obeunti inscriptum: *Nec charo requies cœlo.*

Genes: 31.

Non aliter pro Rachele Jacob laborabat desudabatq;. *Die* (inquit ipsemet ad Laban) *noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis: sicq; per viginti annos in domo tua servivi tibi.* Et si ille tantum pro

pulchri-

pulchritudine evanida sustinuit; an non plus pro pulchritudine virtutis semper duratura desudandum?

Cherubicorum illud in Apocalypsi Spirituum: quòd die & noctu in decantanda DEI gloria *non habuissent requiem:* Et quis vero in vita Religiosa, promovendæ gloriæ divinæ cultor quietem à laboribus quæreret?

Quod de se David in Psalmo: *Anima mea in manibus meis semper*: Hoc quicunq; de semet ipso Religiosus. Unde enim patet animam in manibus esse? & quidem continuo & *semper*? si non ab exercitio operationum & laborum iisdem manibus convenientium eoq; pariter assiduo. Uti in oculis existentis animæ non aliud potius documentum ac indicium, quàm exercitium actuum illis debitorum, & connaturalium, nempe visionum. Sic in capite, corde, pedibus &c. Proinde otiosæ manus, planè acsi absq; anima essent.

De rerum omnium Satore Liber Geneseos quod *requieverit ab universo opere quod patrarat*: scilicet tunc primùm quieti indulserit, postquam omne opus absolvisset, nec habuisset ultra quod ageret. Ecquod verò in- Genes. 2.

super istud otium & quies? Audiamus id ipsum; quod jam prius ex ore Christi innuimus: *Pater meus Agricola, operatur usq; modo.* An non id priori Geneseos textui contradictorium? *Requievit, operatur?* Nisi quod DEO optimo maximo ipse circa nostri conservationem quæ actione creativâ non minor est, susceptus labor, quies sit amplissima: ut vel hoc ipsum quisq; pro otio, pro quiete, pro deliciis reputet, si pro DEI gloria quàm plurimùm laboret desudetq; etiam cum virium sanitatis vitæquè jactura.

Uti quispiam apud Psaltem de se *In laboribus à juventute mea:* Alii legunt: *Exspirans à juventute mea.* Acsi tantus ille labor fuerit qui æquipararetur morti, aut mortem induceret, morte finiretur.

Quanquam non raró evenit, ut labor etiam generosos animos non tantum non enervet, sed etiã nutriat & conservet diu incolumes. Adinstar illius retis, quo cùm satis laboratum est, totq; grandes pisces, (uti refert Evangeliũ) capti sunt, nec tamen *scissum* apparuit. Uti etiam de suo Trajano Plinius, quod inter immensos labores ita integer vigore omni ac viribus extiterit: *Vt labore refici ac reparari videretur.* Atq;

Atq; hic planè talisq; labor si quos, certè Religiosos quoscunq; ac etiam Societatis homines decet: ad quam dum Patrem Nunnium Beata Virgo vocaret: hoc ipsum illi proposuit: *Vis servire filio meo usq; ad defatigationem?* Quod de Atheniensibus proclamatum erat: *Atheniensis etiam moriens manum porrigit*: Scilicet ad laborandum & pugnandum: hoc idem de Religiosis hominibus: ut nonnisi cum vita à laborando desistant: tuncq; requiem temporalem capiant, cum æternam incipient. Si quorundam Cæsarum vox erat non infrequens: *Laboremus, Militemus*: Hæc eadem in nostro ore semper personare deberet, idq; tamdiu, quamdiu eandem extremo halitu mors non præcludet. Idq; adinstar Gentium Apostoli illud de se proclamantis: *Abundantiùs omnibus laboravi: laboro usq; ad vincula*: Debuerat addidisse: usq; ad mortem. Sic etiam Diogenes teste Laertio: qui cuidam admonenti; ut jam Senex quiesceret à laboribus: *Quid* (inquit) *si in stadio currerem, utrum oporteret jam metæ vicinum cursum remittere, an magis intendere?* Id plane Arrianus hist: lib: 5. *Ego* (inquit) *nullum generoso viro laborum*

finem statuo, quàm labores ipsos, qui ad gloriam & decus ducunt.

Monumento Absalonis titulus erat, ab eo ipso dum viveret inditus: *Manus Absalon*: Forte id edocens: usq; ad mortem, usq; ad sepulchrum, seu pugnandum seu laborandum esse, ab operando non desistendum: manus utiq; operationis Symbolum est. Ac inde non alio forsitan nostra quoq; sepulchra exornari fas esset titulo, quàm qui nostrarum manuum ad agonem usq; & tumulum productis operibus personaret. Imò æterna etiam simulq; temporalis, nostra beatitudo non aliunde promanare deberet quàm ex præteritorum solatio laborum: *Labores* (inquit Psaltes) *manuum tuarum manducabis, beatus es.* Uti Hercules aliquando teste Plinio è terra cœlos prospectans, illasq; Hydras, serpentes, Leones, aliaq; à se edomita monstra inter Constellationes collocata suspiciens, cum quodam tripudio exclamavit: *Victor è terris meos specto labores.* Non alia præterea nostra quies, quàm in DEO Solo, ad quam nonnisi cum Augustino nobis aspirandum: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

AD-

ADHORTATIO XV.

Sublimitas Sanctimoniæ totius mundi, omniumq; terrenorum: atq; linguarum etiam ac respectuum quorumvis contemptrix.

POstquam Fabricam sublimioris Sanctimoniæ ad supremumq; usq; apicem perduximus, atq; ut par erat operosiùs exornavimus eandem; quid amplius restat, quàm in summo ejus constitutis fastigio, totum qua latepatet infra jacentem orbem ex alto despicere, illudq; quod apud Poëtam quispiam, sibimet occinere: *Jam super inferum despecto mundum: jam propinquos usq; licet tetigisse cœlos.* Quid dico despicere? imò contemnere etiam, fastidire, vix etiam oculo dignari; Magni adinstar Pompeii, cujus anima ad sidera usq; perlata: *Postquam se lumine vero implevit &c. vidit quantâ sub nocte iaceret nostra dies, risitq; sui ludibria trunci,* Risit inquam contempsitq; simul ridenda omnia. Et hoc certè ipsum, quod pro coronide affero, sublimioris sanctimoniæ est: generoso utiq; contemptu & quasi sanctiore fastu omnia terrena, totum universum, linguas

P. Ines in Lesbiade

Lucanus

linguas etiam ac respectus quoscunq; despicere, fastidire, calcare, proterere.

Sublimior sanctimonia, uti absq; suo, non est fastigio, ita neq; absq; fastu. Eum tamen non quisquam vitiosum reputet, imò omni dignum encomio ac præmio censeat: qui dum terram terrenaq; proculcat omnia, ipsi cœlo se infert, ejusq; possessione rependitur atq; sic pretium facit sanctitati.

Contemptus mundi terrenorumq; omnium.

Liceat hujus ipsius fastus ac generosioris terrenorum omnium contemptûs pro exemplari illum Apocalypticum de quo Apocal: 10. velut spectatoribus oculis Angelum proponere: *Vidi* (inquit S. Joannes) *Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, Iris in capite ejus, facies ejus ut Sol, pedes ejus tanquam columnæ ignis, posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & levavit manum suam ad cœlum.* Et planè in hoc Angelo viva contemptûs rerum omnium terrenarum imago. Liceat horum contemptorem in illo spectare animum. Terra inprimis ex una parte quidquid speciosi, quidquid honorati, quidquid voluptuosi, quidquid plausibilis, quidquid pretiosissimi ac æstimatissimi

ſimi habere poterat, totum congeſſit & exhibuit; ex altera parte omnes iras, indignationes, contumelias, minas, arma exeruit omnia, omnes movit & produxit machinas. Mare pariter hinc onuſtas magnis mercibus auroq́; divites expoſuit onerarias, pretioſam gemmarum effudit grandinem; inde fluctibus intumuit, inhorruit procellis, in inſanos furores abiit, horrendis fremitibus ac boatibus inſonuit, naufragia, turbines, ac mille mortes comminatum eſt. Jam nubes quoq́; hinc dulce pollicita refrigerium, in gratum ab æſtu ſe extendit umbraculum, optatiſſimo deſudavit rore: inde grandines, fulgura, tonitrua, fulmina egeſſit. Quid verò ad hæc Apocalypticus Angelus? Deſcendit ille de cœlo; certè non ut iſtis moveretur omnibus, ac quocunq́; tangeretur reſpectu, ſeu blandis adhærendo, ſeu timendo ſæviora; ſed ut potius captos ac illaqueatos ejusmodi illecebris, hiſce eximeret vinculis, in libertatem filiorum DEI aſſereret, contemptum terrenorum vel ſuo perſuaderet exemplo, cùm & ipſe contemneret, calcaret, pedibus protereret univerſa: Et calcavit defacto, dum *poſuit pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terram*: Poterat ille

equidem, quod etiam Angelico convenientius erat ſpiritui, quaſi ſuſpenſus hærere in àére, nec pedem in terra mariq; figere: fixit tamen, ut vel ſic, terrena calcando, contemptum eorundem teſtaretur. Hinc etiam *Pedes ejus columnæ ignis*, id eſt: ex contemptore rerum ac metallorum omnium elemento erectæ. In quo ſe profecto Angelicum probavit ſpiritum cœliq; accolam, dum talem ut patuit, terrenorum omnium præſetulit contemptum. Quid enim Angelico ac cæleſti ſpiritui ad terrena, eorumq; amorem & pretium? Vel ideò etiam non qualiscunq;, ſed *fortis Angeli* nomen meritò obtinuit. Ubinam enim major elucet fortitudo, quàm ubi pænè ſuccumbunt omnes ambitione, & amore, ſeu metu & quocunq; reſpectu. E contra quænam fortitudo illa; ſinere ſe capi, irretiri, in ſervitutem trahi à quibuscunq; terrenis? Ne autem in ſolis terram & mare calcantibus pedibus hic eluceret contemptus, etiam manibus eum teſtari voluit: dum dexteram ad cœlum uſq; levavit: vel hoc ipſo commonſtrans, quonam oculi, ac reſpectus, quò mentes, quò corda & affectus dirigendi? En verò ab hoc laudabili faſtu, quan-

tum inclaruit hic idem Angelus: cum ſolis ad-inſtar toto vultu illuxiſſet, ac Iridem ſumpſiſſet pro corona: *Facies ejus ſicut Sol, Iris in capite ejus.* Claro admodum documento noſtrã quoq; Religioſam non diſſimili inclareſcere ratione Sanctimoniam. Eo ipſo grandeſcit illa, ac erigitur ſublimius, dum ſuis adſternit pedibus quod calcet. *Parvulus eſt* (inquit Divus Gregorius) *qui terrena diligit, magnus qui æterna concupiſcit.* Jam verò Stoicus: *Non eſt* (inquit) *magnus animus niſi magna deſpiciens.* Hinc idem eodem titulo Diogenem ipſi Alexandro prætulit inquiens: *Supra eum eminere viſus, infra quem jacebant omnia.* Ita ut hîc planè locum habeat; quod initio libri de Olympo appoſuimus. *Vt altus Olympi Vertex qui ſpatio ventos hyemesq; relinquit perpetuo, nullum temeratus nube ſerenum Celſior exurgit pluviis, auditq; ruentes ſub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.*

Quod ipſum in agno etiam Apocalyptico cernendum eſt. Quid illi honoratiùs quid plauſibiliùs accidere poterat, quàm cùm admoveretur throno, cùm coronati Seniores in ejus adorationem caderent, cùm totus mundus vo- *Apocal: 5*

 calibus

calibus admodum in ejus gratiam acclamationibus ac elogiis personaret: *Dignus est agnus accipere virtutem & divinitatem & Sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriam.* Quæ verò ad tanta & talia agni propensio? quis ejus genius? Certè contemptor omnium. Non aliter enim D. Joannes illum exhibet quam velut occisum ac emortuum. *Et vidi & ecce in medio throni agnum stantem tanquam occisum.* Quid enim occiso ac emortuo, quid inquam animi, inclinationis ad terrena quæcunq;, quid æstimationis ac pretii eorundem? Nec incumbere aut insidere throno hic Agnus perhibetur, sed stare in medio ejusdem: *Vidi in medio throni agnum stantem.* Non insedit scilicet nec incubuit, ne possessionem illius aut quietem in illo capere videretur, sed stetit; ut ita pedibus instratum, eidem insistens calcaret. Et dum sic calcat, grandescit in leonem: *Vicit* (inquit) *Leo de tribu Juda*, eaq; quæ jam recitavimus meretur elogia, quæ illum non ad quoscunq; tantum titulos & honores, sed ad ipsam etiam divinitatem extulêre: *Dignus est accipere divinitatem*: Ut vel hinc pateat, per quos gradus nostra sanctitas debeat ascendere in sublime.

me. *Cœlum* (inquit Psaltes) *sedes ejus, terra autem scabellum pedum ejus.* Si cœlo ipsi semet inferre nititur, terram & omnia terrena calcando eadem scabellum pedum suorum ponat: *Calces mundum* inquit Augustinus, *& calcato eo gradum tibi facis per quem in sublime conscendas.* Terrena omnia velut scala Jacobea sunt, per quam non aliter cum Angelis in cælum usq; conscendas, quàm si eandem sub pedibus habueris.

Huc etiam veniat in aspectum vir ille regali conspicuus titulo de quo Apoc: 19. *Habebat in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.* Cur vero non alibi ? Cur non in fronte vel in pectore? Assequor ut mihi videtur hujus ipsius mysterium. Nimirum non illum tam ingens & sublime decus capiti præfixisse; ne videretur tanti illud æstimare, ut dignum tam nobili loco, fronte scilicet & capite judicaret. Non etiam pectori admovisse, ne quoscunq; amplissimos etiam titulos sibi cordi esse putaretur. Excludit itaq; & à capite & à corde, eos ipsos tam grandes titulos, & ad femur usq; per contemptum præcipitat; Non frustra: vestimento quoq;

eosdem assuendo; scilicet ut vel eo ipso ostenderet, tam facile hæc omnia paratum se deponere atq; exuere quàm vestem. An verò per hoc vel modicè decrevit heroicus hic contemptor? Certè minimè? Dum enim sic tantopere ab aliis æstimata, depretiat ac contemnit, tot diadematibus, quot S. Joannes commemorat, in capite, ex quo illum, quem diximus titulum dejecerat, coronatur, ut iisdem super se ascendentibus prope cœlum ipsum attingat: *In capite ejus* (inquit) *diademata multa*. Aliqui legunt: *Diademata cœli*.

Dum autem illum generosior terrenorum contemptus tam insigniter coronat? Non modicè etiam Sponsum in canticis exornat. De illo ibidem Sponsa: *Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*. Acsi hic Sponsus non vulgari alicui metallo, sed ipsi auro insisteret, illudq; quodammodo per despectum calcaret. Quod dum præstat; ecce illico evadit longè pretiosior, capite manibusq; in aurum, comis etiam ipsis in palmas triumphales degenerantibus: cum omni insignium munerum affluentia: *Caput ejus aurum optimum: Manus ejus aureæ, plenæ hyacinthis*

Cant: 5.

this

this Comæ sicut elatæ palmarum. Ut ommittam interim tot Charites & laudes, quas hîc Sponsa in prædictum auri contemptorem congessit: quasi eo ipso edocens, quomodo hic idem contemptus cum amplissimo fænore rependat, quod infra pedes deiiciendo quodammodo capiti vel cordi eripere videtur. Ut merito scriptura moneat: *Si divitiæ affluant, nolite cor apponere.* Acsi quæcunq; terrena non corde, sed pedibus digna essent ab ipsis calcanda.

Quod quia statua Nabuchodonozoris haud præstitit, in solum caput, pectus & brachia aurum argentumq; impendendo, pedibus vero vix vile admovendo ferrum & argillam. *Caput* (inquit Daniel,) *ex auro optimo pectus & brachia ex argento, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis.* Proinde in cineres & favillas abiit: Illud ipsum comprobans minimè solidam ruinæq; proximam illam Sanctitatem, quæ contemptu caret terrenorum.

Novimus quidnam uxori Loth contigerit? Reliquit illa Sodomam, secessit in montem, in quo se ab incendio salvaret; sed quia respexit retro, cùm despicere debuisset,

proinde & vitam & ſeipſam amiſit. Et hæc certè cauſa, quod pleriq; etſi videantur culmen virtutis tenere; retro tamen, ſcilicet ad ea quæ in ingreſſu ad religionem reliquerunt, reſpiciant. Id verò propterea, quòd non ſatis eadem ipſa deſpexerint ac conculcarint, *ea quæ retro ſunt* - - nequaquam *obliviſcentes.*

Iſai. 40. Diſpari ab iis ratione de quibus ſcriptura: *Aſſument pennas Aquilæ, volabunt & non deficient.* Ita ſcilicet DEI ſervi ſe à terrenis elongant; ut ſub Solem ac cœlum uſq; velut cum Aquilis ſeſe efferentes, nunquam in hoc volatu deficiant; ut ad terrena aliquando ferantur, ac ſe deorſum velut defeſſi demittant.

Contemptus linguarum. Niſi quod parum ſit ad Sanctimoniam in ſublime provehendam, omnia quæcunq; terrena generoſiùs contemnere, niſi linguarum etiam heroicus contemptus adſit.

Heroes Religioſi planè illi turri, cujus Salomon in Canticis meminit ſunto non abſimiles: *Turris* (inquit) *David cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea.* Sunt verò qui *Cant: 4.* ita legunt: *Turris David cum exciſis linguarum ſeu orium ſimilitudinibus.* Verùm quid turri cum oribus cum linguis? Ita utiq; ſublimior,

mior, celsissimis non impar turribus sanctitas, nunquam sinè linguarum consortio. Quid enim magis nec non hostilius harum sublimitatem turrium, quam linguæ, cryses, obtrectationes, impugnant ac impetunt? Quo tamen id exitu? non alio certè quàm quo robustæ ac infractæ turres à conjurata ventorum tempestatum ac fulminum impugnantur sævitie: ita ut inter hæc etiam immotæ consistant: Et id certè S. Franciscus Xaverius apud Turselinum lib. 6. cap. 18. in viris Apostolicis elucere voluit: *Si qui* (inquit) *obtrectent, de illorum vocibus non magnopere laborabis, ne quis animadvertat, te homuncionum vocibus à DEI obsequio absterreri.* Contemnendæ scilicet à divinis heroibus & velut è summa turri despiciendæ quæcunq; adversæ voces velut coaxantes ranæ aut canum latratus; si ii turres & non arundines videri & esse volunt. Uti de semet ipso Seneca: *Subitâ aliqua & universa voce feriuntur aures meæ, nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem Fremitum patientissimè fero; multæ voces & in unum confusæ pro fluctu mihi sunt aut vento sylvam verberante, & cytharis sine intellectu sonantibus.*

Quid ille quoq; de quo Psaltes: *Qui ambulat super pennas ventorum.* Pennatæ sunt utiq; tumentes illæ à quatuor orbis partibus flantes ventorum buccæ. Nullos tamen magis circumvolant, quam quos excellentior præ aliis attollit Sanctimonia. Scimus utiq; altiora montium juga ventis ac tempestatibus sonoris patere maximè. Quid verò hic sublimioris virtutis sectatoribus agendum est? certè non aliud; quàm ut generosius hasce buccas pennatas infra pedes præcipitent contemnant & calcent. Atq; sic ab ipsismet earum insanis vocibus ceu pennis eò efferantur sublimius.

Sic Romanus ille re & nomine magnus Fabius; qui sub tempus belli Punici ob suam prudentissimam cunctationem quot vulgares sensus, quot censuras quot judicia ac ludibria etiam pertulit? Qua tamen fronte? *Si hæc* (inquit) *tela unquam pertimescere, aut saltem attendere voluissem; Neq; mundus hodie Romam in pedibus, neq; Roma sibi mundum sub pedibus videret.* Addit Bartolus: *Nec Fabius maxmus esset.*

Quid vero illo viro, de quo Daniel, hac in parte sublimius? *Erat magna arbor & fortis*

fortis (de qua Nabuchodonozor ſomniaverat) *Proceritas ejus contingens cœlum, aſpectus illius ad terminos univerſæ terræ: Folia ejus pulcherrima & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ & in ramis ejus converſabantur volucres cœli.* Interim exſcindenda erat hæc talis tantaq; arbor, & ad terram uſquè protrudenda. Verum tot in contra interveniebant rationes, tot reſpectus ac difficultates, ſimul à tot feris ac beſtiis ſub ea cubantibus luculenta pericula. Hinc Leonum rugitus, luporum ululatus, urſorum murmura; hinc volucrum garrulæ linguæ ac voces: ut non memorem invitamenta foliorum, illicia fructuum, quibus oblectabat oculos & palatum tam ſpecioſa arbor. Quid hic faceret vir cæleſtis, & ut illum Sacer vates nominat: *Vigil & ſanctus*? Ecce nihil cunctatus, ſpretis hiſce omnibus deſcendit de cœlo; neq; muſſitando per metum, inſinuavit, ſed velut imperterritus audenti animo *clamavit fortiter: ſuccidite arborem*: Atq; in hoc ipſo heroici ad omnes linguas & voces obſurdeſcentis, omnia quæcunq; contemnentis ac proinde ſuper omnia excelſi animi exemplar exhibuit.

hibuit. Planè, ut de Tiberio historicus, *spernendis rumoribus* seu linguis, *validus*.

Cujus planè animi est, cum Apostolo gentium exclamare: *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo*: seu: *confixus sum cruci*. Uti namq; qui in crucem agitur, certè ita à terra abstractus est, ut infra illius pedes jaceant omnia: pariter quoq; Religiosus heros sublimioris Sanctimoniæ sectator super cuncta emineat. Adinstar Crucifixi Salvatoris qui dum in crucem actus esset, supra omnia terrena ac ipsos etiam linguarum quibus impetebatur assultus eminere visus est, & de facto eminuit. Proinde si quis legitimum se ejus asseclam jactat, non dissimilem se adversus tales omnes aculeos præbeat. Alias juxta S. Francis: Xaver: apud Turselinum loco supra citato: *Quicunq; Sermones extimescunt, mundi veriùs quàm Christi milites sunt.*

Quæ eadem crysis ne in nos quoq; cadat; id satagamus omnino; ut sicut linguarũ, rogo etiam ex iis, cui nos, super eum in DEI holocaustum arsuros imponamus exemplo P. Gasp: Družbicki, ut in vita ejus legimus composito: ita quorumcunq; terrenorum heroici inveniamur contemptores, per id ipsum, sublimioris Sanctimoniæ non difficulter occupaturi fastigium. Pars

PARS TERTIA

PECULIARES VIRTUTES RELIGIOSAS.

Ad

Altiorem nec vulgarem gradum provectas exhibens,



ADHORTATIO I.

Non vulgaris animarum zelus virtutum sublimiori Sanctimoniæ militantium Prodromus & antesignanus.

PEr id temporis quasi in genere non vulgaris rationem exhibuimus Sanctimoniæ. Abhinc ejus magis particularia in medium nobis proferenda, singulæq; saltem potiores virtutes eæq; ad non vulgarem quoq; gradum provectæ quasi in agmine statuendæ. Undè autem convenientius ducendum initium quæve virtus quasi in fronte ponenda? Si non ea quâ ipse Christus in prædicando Evangelio potissimum præ aliis claruit, ejusq; prototypon in se exhibuit, qua per Apostolos orbem subegit, cui tot Ethnica regna ac imperia tot hæreses succubuêre, qua Fides Orthodoxa toto mundo propagata, supra tot hostes suos triumphum egit, cui tot tyranni superati innumeriq; cessere cruciatus ac mortes, quam etiam tot Fundatores Religionum suis implantarunt ordinibus, perq; eam, Romanam huc-

usq;

usq; infractam sustinuêre Ecclesiam, quam nostræ quoq; Societati adeò peculiarem S. Pater noster IGNATIUS voluit esse præ aliis, ut eam pro fine & scopo sui Instituti proposuerit ac velut antesignanam in ipso suarum Regularum principio & fronte exhibuerit. Ea verò non alia est, quam Zelus Salutis animarum; quem ut non tantùm non vulgarem, sed etiam primorum Apostolorum zelo non imparem, supremoquè dignum culmine nobismet persuadeam, præsentis meæ curæ & conatûs erit.

Quo loco Zelus animarum apud quoscunq;, potissimum autem apud Religiosos obsequio earundem animarum deditos ac nostræ etiam Societatis homines esse debeat, non unum est, quod nos hujus ipsius admonet. Idq; inprimis præter alia ipsamet vocatio nostra: quæ uti Apostolorum imò & Christi ipsius facit nos insistere vestigiis, ita quoq; non impari cum illis circa salutem animarum pollere Zelo.

Quàm vero hunc eundem zelum latè patentem nec vulgarem esse opporteat, abundè hoc ipsum Actor: 10. in visione Divo Petro exhibita adumbratum legimus: *Vidit vas quod-*

dam

dam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ & volatilia cœli. Ubi Sacri interpretes per linteum prædicationem ac zelum, per animantia, varia genera & ſtatus hominum, ad quos ſeſe hic zelus, & prædicatio debeat extendere intelligunt: volatilibus ſuperbos ambitioſos leves inſtabiles, quadrupedibus avaros guloſos lubricos, ſerpentibus iracundos invidos fraudulentos gentiles hæreticos denotantibus. Hinc quis non videat, quanta hoc loco zeli noſtri depingitur amplitudo & materia? Cùm inprimis non qualicunq; linteo, ſed linteo magno tot animantium capaci exprimatur: *Vidit linteum magnum*: Neq; vero hic certò alicui, uniq; & alteri hominum generi & conditioni ſit intentus adſtrictusq;, ſed is omnino, qui ſe omnibus & quibuscunq; ſine diſcrimine impendat. Ideoq; non ſolis Aquilis ac Leonibus, hoc eſt magnatibus ac Principibus, ſed laborioſis etiam circaq; terram occupatis, ut ita dicam boſculis, quaſi mendicato viventibus paſſerculis, ac viliſſimis quoq; terræ vermiculis hoc eſt, ignobiliſſimæ ac infimæ pauperrimæ hominum plebi æqualiter deſerviat.

serviat. Nec frustra illud *linteum quatuor initiis visum est submitti de cœlo in terram.* Idq; ideo quod nostra etiam prædicatio ac zelus non certo alicui loco & angulo debeat affigi, nec intra solam v. g. contineri Europam; multo magis unam aliquam Provinciam regionem, urbem. In totum, quantus quantus est cum quatuor suis partibus orbem, Europâ, Asiâ, Africâ, Americâ ultra Herculeas columnas sese extendat & porrigat. Sic omnino, ipsomet Christo suos ad prædicationem expediente discipulos: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ita ut hic etiam locum illud habeat: quod idem Christus ad Evangelicos prædicatores: *Vos estis lux mundi.* Ad quod Bernardus: *Pudeat successores Apostolorum lucem esse modii & non mundi.* Quanquam ipsemet Christus in se ipso hujus zeli nobis exemplum exhibuit, dum nolens uno detineri loco, inquiebat: *Oportet me aliis Civitatibus Evangelizare.* Neq; etiam frustra eo proposito linteo ad Petrum vox directa: *Surge Petre, occide & manduca*: ut vel hinc pateat: Apostolicos viros eo appetitu in conversionem & salutem animarum debere ferri, quo feruntur in cibum,

eoq; zelo debere illos vivere, pasci & nutriri: uti S. Catharina Senensis dicebat.

Et hunc talemq; nempe universalem zelum DEUS in prædicatoribus populo suo mittendis sub allegoria venatorum per Prophetam Isaiæ 16. appromittit: *Mittam* (inquit) *eis multos venatores & venabuntur eos de omni monte & de omni colle & de cavernis petrarum.* Et certè quisnam ille inprimis celebris venator esset? qui solas v. g. cicures damas capreasq; aut solos hinnulos cervorum, & non etiam lupos, ursos, leones, ac reliquum quodcunq; ferarum genus venaretur. Tum & ille, qui uni alicui vivario intentus, in hoc solo omne lucrum & solatium venationis reponeret, nec in late spatiosos campos asperosq; montes excurreret, in abditos remotosq; sylvarum desertorumq; recessus penetraret, profundissima quæq; spelæa omni excuteret industriâ. Et hoc profectò est quod DEUS sub nomine Angelorum ad quosvis salutis animarum curatores ex ore Prophetæ: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius.*

Quodsi

Quodsi à venatoribus ad piscatores stylum transferre libuerit? & in his vivam zeli amplioris spectabimus imaginem. Illis utiq; Christus in Evangelio viros Apostolicos assimilari voluit: *Faciam vos* (inquit) *fieri piscatores hominum.* Ubi etiam quis ille insignis Piscator censeretur? qui alburnos tantum minorumq; pisciculorum vulgus, & non prægrandes quoq; Lucios, Carpiones, Sulmones, ac balenas etiam piscari nosset. Qui hamo nonnisi, vel quocunq; angustiore reti & non capace plurium magnorumq; piscium sagenâ uteretur ad piscandum. Qui piscinas tantum minoresq; lacus & non amplissima stagna fluviosq; ac immensa quoq; maria enavigaret. Si Timotheo Atheniensi visa est fortuna urbes in retia impellere; certè nobis in retia Christi non urbes tantum, sed integra regna & imperia imò totùs orbis impellendus. Uti hujus ipsius typum gesserat Aaronicus Sacerdos: in cujus veste *erat totus orbis terrarum:* Ut vel eo ipso admoneretur, se debere mundi totius ejusquè salutis curam gerere. Uti quoq; ad Joannem Apocal: 10. *Oportet te Prophetare gentibus & populis & linguis & regibus multis.*

Et hinc est quod idem ipse Christus in eodem Evangelio Petrum ut tributum exsolveret, non alio ad piscandum miserit, quàm ad mare: *Vade* (inquit) *ad mare & mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit tolle.* Hoc autem ipsum præludium & typus fuerat piscationis illius, quâ postea circa homines fungi debuit. Uti & illa Evangelica piscatio Zeli Apostolici non postremum Symbolum præsetulit, in qua *præ multitudine piscium rumpebantur retia, & naviculæ pæne mergebantur.* Ita scilicet nobis etiam circa piscationem hominum laborandum, ut illi non quoscunq; conatus & studia, sed omnes vires nostras, omnem incolumitatem ac vitam, etsi hæc abrumpi penitus laboribus extremumq; subire naufragium deberet, imò nostræ etiam securitatem salutis æternæ promptè ac heroicè impendamus; eo spiritu & zelo, quo S. P. IGNATIUS dicere solebat: *Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inservire & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori.* Pater autem Nicolaus Lancicius uti in ejus vita Balbinus: *Optabat esse rete, quo omnes homines ad DEUM caperentur & traherentur.*

Math: 17.

Luc: 5.

Verum

Verum ne solis aquis & Ponto zelus noster innatet, à Neptuno ad Cererem, à piscibus ad segetes stylum tantisper transferamus. Nec enim alio ipse Christus suos operarios invitat, dum messem adultam quasi digito monstrans in hæc verba illos alloquitur: *Ecce regiones albæ sunt ad messem. Messis multa operarii pauci:* Et defacto sicut non ille egregius messor est, qui solas spicas quæ fugerint manus metentium cum Ruth inope colligeret, nec campos & horrea manipulis impleret. Ita & ille nomine etiam operarii Apostolici omnino indignus, qui propria salute & modico animarum lucro contentus, tot hominum sanguine Christi redemptorum exitio, securus ac deses indormiret, nec dignam supremo Patrefamilias messem Cælo inferret. Is nimirum non vulgaris zelus zelatorq; est, qui nullis laboribus, nullis animarum proventibus satur, terram meritis, innumeris cælum accolis implet. Joan: 4. Matth: 9.

Illius adinstar quem D. Joannes in Apocal: se spectasse testatus est: *Vidi & ecce nubem candidam & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream & in manu sua falcem acutam.* Acutam Apocal: 14.

tam inquam hoc eſt cuicũq; etiam robuſtiſſimæ meſſi facile parem, non hebetem aliquam, quæ ſe vix in obvia gramina gracilesq́; herbas poſſet exerere. Verum quid diademati, quid regio inſigni, & capiti imò & manui cum meſſoria falce? Nempe eo ipſo non plebeium hic, ſed verè Principem, ſed Regalem meſſorem zelatoremq́; cogitate, qui non in unum aliquem anguſtiorem agellum, ſed in orbem totum, ſuum proferat zelum ac dominatum juxta illud Pſaltis: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Imò etiam ſuis deſideriis ac zelo anguſtum eundem mundum reputet: idq́; laudabilius longè, quàm de Magno Alexandro apud Pòëtam: *Vnus Pellæo Juveni non ſufficit orbis: æſtuat infelix anguſto limite mundi, Clauſus ut Gyaræ ſcopulis.*

Ut verò meſſoriam iterum falcem in gladium recudam: planè vir ille Apocalypticus,
Apocal: 1. *De cujus ore gladius utraq; parte acutus exibat* eximium zeli non vulgaris in ſemetipſo prodidit ſpecimen. Quid enim per gladium de ore procedentem, quàm prædicationem zelumq́; Apoſtolicum intelligimus: documento, eundem zelum, non ad inſtar ſubtilioris pugio-

170

pugionis vel cultelli cujuspiam, sed adinstar trabalis gladii utraq; parte acuti debere esse, qui obvia quæq; hinc & inde inevitabili ictu feriens, toti orbi par esset subjugando. Quali ense, usus ille qui de se profitebatur: *In matutino* (inquit) *interficiebam* (salutifera utiq; interfectione) *omnes peccatores terræ.* Nec alius Apostolorum Christi zelus de quibus illud Psalmi: *In omnem terram exivit sonus eorum & in fines terræ verba eorum.* Verba videlicet gladio ancipiti simillima, nec dissimilia ab eloquentia Cineæ, quâ plures hostes & urbes quàm suis armis sibi subactas Pyrrhus Rex professus est.

Quid dicam de Sancto Patre nostro Ignatio, cujus illud, dum suos in varias mundi plagas ad missiones expediret edictum fuerat: *Ite, orbem accendite, inflammate omnia.* Cui edicto quantum satisfecêre illi, palam est. Inde nobis etiam quibuscunq; Apostolicorum virorum Imitatoribus amplissimo relicto invitamento, ut ni degeneres ab illis esse velimus, eo zelo animarum ardeamus, quo, nihil hac in parte mediocre animo designantes, eo usq; hoc ipso zelo prædicatione aliisq; Apostolicis procedamus

mus laboribus quousq; finem, mundi ac vitæ non invenerimus, quousq; aliquid ejusdem mundi virium ac sanguinis superfuerit. Absit ut simus *Idola zeli* quale olim Ezechiel in templo Salomonico aspexerat. Idola inquam os habentia & non loquentia, habentia pedes & interim desidioso otio torpentia, habentia manus, nec saluti collaborantia animarum.

Ezechiel. 8.

Potius cœlos imitemur, sub quorum allegoria (uti interpretatur S. Augustinus de viris Apostolicis) Psaltes: *Cœli* (inquit) *enarrant gloriam DEI*: DEI inquam non suam: non nosmet ipsos sed DEUM prædicando, idq; non linguâ tantum, sed operibus etiam ac totis nobismet ipsis.

Planè adinstar illius stellæ, quæ Magorum ad Præsepe Christi ductrix fuerat: cujus totum durare, totum lucere, fuit ducere Magos ad Christum; ita ut postquam suo functa esset officio, non ultra superstes esse voluerit.

Aut certè adinstar lucernæ illius, quam mulier Evangelica ad inveniendam drachmam deperditam accendit: cujus id erat muneris & obsequii, ardere & consumi; modo drachma vindicaretur ab interitu.

Aut

Aut deniq; adinſtar Evangelici Paſtoris ſemet, incommodis, periculis, laboribus, difficultatibus obiicientis, modò ovem deperditam inveniret. Ut non memorem inter alia zeli inſignis exempla S. Tereſiam usq; ad diem judicii pœnas purgatorii pro animæ unius converſione ſubire exoptantem. Pariter P. Ludovicum de Ponte S. J. ſeſe ad pœnas etiam inferni in perpetuum ſine peccato tolerandas, ſi eo ad peccatorum coverſionem opus eſſet, offerentem. *In vita ejus*

Hoc autem certè erit, quod de ſe Apoſtolus gentium 2 ad Corinth. 12. *Nihil minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*: Ubi ſic ſuos Co-Apoſtolos nominat, ſeq; ab illis non degeneraſſe enuntiat: non qualescunq; eoſdem, ſed *ſupra modum Apoſtolos* deprædicans: acſi quocunq; Apoſtolatu clareſcere parum eſſet,

Quodſi verò hanc praxim zeli Apoſtolici ſervaverimus, procul dubio ingens lucrum faciemus animarum; nec minus pro noſtra parte præmium noſtri laboris referemus.

ADHORTATIO II.

Paupertas, Castitas, Obedientia non vulgaris, sublimioris Sanctimoniæ non impares Triarii.

PArticularia Sanctimoniæ Religiosæ ingressi, postquam virtutem zeli animarum non vulgarem esse voluimus: Essentialia Religionis cujusq; liceat percurrere: Paupertatem, Castitatem & Obedientiam velut validissimos summam rei sustinentes Triarios intelligimus. Et quia labor hic noster, ad suum sese finem præcipitat, nec singulis seorsim fas est immorari: ideo tria hæc in unam hodie compingimus dictionem; ut eadem ipsa nobismet non vulgaria sint, inpræsens suasuri.

PAUPERTAS Religiosa non vulgaris. Ordiamur ab antesignaria harum trium virtutum Paupertate, eamq; velimus esse non vulgarem: quâ ipsemet Christus insignis admodum inter terrigenas apparuit, ita, ut illâ ipsâ totam vitam suam non parum exornaverit. Hinc illi inprimis parentes pauperrimi, nativitas in stabulo, pueritia atq; adolescentia in ipsius planè paupertatis domo Nazareth: jam reliqua, Evangelica præsertim vita absq; domo,

absq;

absq; reditibus, absq; commodis: mors tandem in omni egestate extremaq; nuditate in cruce peracta. Ipsomet etiam Christo de se attestante: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Ubi quid pauperius quid egentius? quàm ipsis vulpeculis, ipsis volucribus, quarum viles nonnisi foveæ, aut rudes, iiq; ex neglectissima structi materia nidi, habitaculum: nulla verò pastus quotidiani provisio, longè incommodius longeq; miserius vivere, nec locum etiam capiti reclinando invenire. Ita ut si Diogeni pro domo, pro tecto, suimet (cujus saltem dominio gaudebat,) dolii fuerat usus: Christo nec tantillum etiam habitaculi manserit. Math: 8.

Et hanc talemq;, pauperiem suis discipulis idem Christus impensiùs injunxerat: ita ut *neq; duas tunicas, neq; peram neq; calceamenta* habere permiserit, hæc ipsa pauperibus etiam, alioquin communia: imò illud quoq; in omnes proclamaverit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quæ autem major insigniorq; pauperies? quàm renuntiare carereq; omnibus, nihil velle possidere. Et hæc utiq; sola ad Sanctiorem Chri-

sti adulta palæstram, sola ejus divinioris capax magisterii. Inde est quod Salvator noster adolescenti Evangelico consilium exquirenti, quidnam sibi faciendum esset, ut vitam æternam possideret? post injunctam illi observantiam omnium mandatorum exactam, illud subjunxit: *Si vis perfectus esse: vade & vende omnia & da pauperibus & sequere me.* Illam scilicet paupertatem censendam esse dignam Christo, illam verè & proximè Christi sequacem, illam eximiæ & perfectæ sanctitatis fundatricem ac parentem, quæ hominem omni rerum possessione spoliaverit. Unde si quispiam gentilium Philosophorum in commendationem suæ paupertatis illud jactare ausus: *Omnia mecum porto.* Tanto commendabilior Christi discipulorum paupertas, quæ hoc etiam qualicunq; onere sui sequaces expedit, ita, ut illos omnibus rebus exclusis, nihil omnino secum portare sinat.

Nisi quod parum sit, corpore & crumena pauperem vivere: etiam animo & spiritu pauperes nos Christus voluit: *Beati* inquit *pauperes spiritu, ipsorum est regnum cœlorum.* Illa videlicet non plebeia, non vulgaris, sed planè regia, thronoq; cælesti nō indigna pauperies: quæ non corpus tantum omni rerum affluentiâ, sed spiritum

Paupertas spiritus.

etiam animumq; omni ambitu & ad terrena affectu penitus exspoliat. Hinc in Evangelio discipuli Christi (uti jamdiximus) etiã *perâ & calceamentis* carere jussi: quid enim per perã nisi desideriũ habendi, quid per calceamenta nisi Doctorum testimonio, affectus ad quæcunq; terrena intelligendus: isq; omnino à genuinis Christi sectatoribus reiiciendus atq; exuẽdus. Inde etiã est, quod S. Petr9 ausus est, quasi per aliquam jactantiã illud proferre: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quæ vero hæc omnia? Illane tanti relicta semilacera retia? Respondet D. Gregorius Papa Hom: 5. in Evangelia: *Multum* inquit *reliquit qui sibi nihil retinuit.* Et quia neq; hoc satis, proinde addit: *Multum ergo Petr9 & Andr: dimisit, quando uterq; etiã desideria habendi dereliquit.* Nec frustra Christus præfato supra adolescenti dixit: *Vade & vende omnia:* Et non alio contractu suis eum bonis cedere jussit. Quid enim Juris ac rationabilis desiderii ad bona absolutè vendita haberi protest?

Eam paupertatem Job de se professus cùm diceret: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Quæ enim notabilior patentiorq; nuditas quàm egredientis de utero materno infantuli, tum etiam decedentis

cedentis ex hac vita hominis, ac in tumulum deportati cadaveris: nuditas inquam absq; ullo etiam ad quævis terrena affectu, atq; quocunq; habendi aliquid desiderio; ita, ut quidquid etiam illi opum ingesseris, vestimentorum indueris, monilium aggregaveris; perinde illi est, ac si vilissimam imposueris lacernam, ad sterquilinium usq; illud dejeceris. Hæc autem defacto Jobum coram DEI oculis eò provexit, ut nullum illi in terra similem agnoverit. Quodsi verò alia quæpiam Mater sic egenos nudosq; in lucem exponit, ac in suum deinde sinum filios revocat; Certè Religiosa etiam paupertas, quam Sanctus Franciscus Assisias Matrem suam appellabat, non aliam educat, non aliam tenerius amat Sobolem, mundoq; ac cœlo spectabilem exhibet, nisi quam nuda prorsus egestas in vita & morte commendaverit,

Fructus Paupertatis. Psam: 10.

Non aliter quam illum de quo Psaltes: *Oculi ejus in pauperem*: alii legunt: *Oculi ejus in orbem.* Nempe taliter, hoc est insigniter pauperes, adeo dignum DEO de semetipsis præstant spectaculum; ut apud illum parem orbi sui æstimationem ac pretium inveniant. Imò

in

in orbis Atlantes Sanctimoniâ excrescant : attestante scripturâ : *Domini sunt cardines terræ: & posuit super eos orbem* : alii interpretantur : *Domini sunt pauperes terræ*: Acsi vix alia magis expedita & compendiaria crescendi in sublime paremq; Atlanti staturam & humeros via esset, quam exactissimæ via paupertatis. Hinc de se Propheta : *Ego vir videns paupertatem meam*. Hæc videlicet Religiosos homines, uti non pygmeos in amore sui postulat, sed Gygantes, sed viros, ita quoq; eosdem sui sectatores egregios in viros omni etiam virtutum genere perfectos, adultosq; Sanctimoniæ heroas facit excrescere. 1. Reg. 2. Thren. 3.

Nec aliud forsitan expeditum in Mesopotamiam iter Jacobo Patriarchæ effecit magnisq; opibus reducem ditavit ; cùm id ipsum attestari visus : dum id elocutus : *In baculo* (inquit) *transivi Jordanem, & ecce cum duabus turmis regredior*. Quis enim satis crederet, quantis non temporalibus tantum, sed spiritualibus etiam divitiis sui sequaces, exacta, & vix unius baculi domina paupertas locupletet ? Hinc illud Apostoli : *Omnia habentes nihil possidentes* : Omnia inquam sive temporalia, sive Genes. 32.

æterna ac ſupernaturalia ſpectes. Hinc præfatus S. Franciſcus eandem paupertatem appellabat *theſaurum abſconditum in agro*, Evangelicam à negotiatore venditis omnibus quæ habuit, emptam Margaritam.

Mater præterea ut diximus illa eſt; imò pro Domina etiam ab eodem S. Franciſco Aſſiſinate habita. Nec alio igitur ritu quam matri & Dominæ debito, è voto quoq; Patris noſtri Diviniſſimi Ignatii diligenda: Et ſi eandem talem cogitaverimus coluerimusq; , quomodo illam vulgari aliquâ dignam obſervantia cenſebimus? Quid vulgare ſperabimus ab eadem? Quodſi etiam ut murus Religionis, edicente eodem S. Patre noſtro promovenda eſt? quisnam oro hujus ejuſdem muri humilitate aut mediocritate ſaltem, contentus eſſe poterit? ſi inexpugnabilem ſuam eſſe religioſitatem voluerit. Hinc præter tot Chriſtianos eosq; Religioſos paupertatis exactiſſimæ cultores, quorum ſexcenta exempla non recito, ipſi quoq; gentiles, eo etiam titulo eandem coluêre, ut in ſecuro & in integro ſuam probitatem haberent. Uti Crates Thebanus magnam auri vim in mare proiiciens nec ſibi quidquam re-

lin-

linquens pronuntiavit: *Abite pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Sic & Phocion dum ei magnus Alexander centum auri talenta dono misisset, ipseq; ex portitoribus quæsisset, cujus gratia id sibi allatum esset? illiq; responderent: *Ob solam virtutem tuam & quia te omnium Atheniensium optimum judicat*: Continuo legatos cum dono ad Alexandrum remisit dicens: *Sinat igitur me esse talem.* Acsi deficiente paupertate, omnis illico rueret probitas; stante velut muro quodam inexpugnabili, & ipsa invicta staret.

Neq; vero Castitas etiam Religiosa in minorem à nobis provehenda mensuram. Quanquam satis hæc ad justam sublimitatem perveniet, si Angelicam puritatem (ut idem S. Pater noster Ignatius admonet) enitendo imitari, iisdem ipsis Angelis aut nos æquabit, aut anteferet: præsertim quòd hæc in Angelis felicitatis est, in hominibus virtutis. Quid enim est, quod dum advenientibus Sodomam duobus Angelis profundam Loth adorationem exhibet: *Adoravitq;* (inquit) *scriptura pronus in terram,* hancq; illi absq; ulla repugnantia admittunt: dumq; pariter Dux Israëliti- CASTITAS non vulgaris. Ejusq; Excellentia.

 cus

cus Josue apparenti sibi Angelo id ipsum venerationis & cultûs præstat, attestante eâdem scripturâ: *Cecidit* Josue *pronus in terram*, eumq; cultum ille etiam non minus promptè acceptat: ecce verò dum Apoc: 19. Joannes simili adoratione præsentem Angelum intendit prosequi, sic eum vetantem audit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum.* Arabica versio legit: *Servus tuus sum*: Nempe hoc idem ipsum privilegium Arnoldus Carnotensis virginitati castissimæ D. Joannis imputat: *Hanc interim* inquiens gloriam propriè Virginitas merebatur. Nec profectò dissimilis nostra quoq; Castitas esto, quæ nos scilicet ut Angelicæ castitati, ita ejus privilegiis exæquet;

Ita tamen ut cælestem quoq; Jerusalem in ejus liceat trahere similitudinem. Quot enim ibi eximiæ Symbola Castimoniæ? *Habebat* (inquit) *murum magnum & altum*: quem videlicet nihil humile nihil terrenum aut telluri agnatum, nihil carne prægravans, facile transcenderet. *Portæ duodecim, duodecim margarithæ.* Quid verò his candidius quid purius? attestante etiam Plinio: *Omnis* (inquit) *Margaritarum dos in candore.* Nec aliud per hasce

Apocal: 21.

portas

portas quam portas sensuum : (quas S. Pater Ignatius ab omni inordinatione jussit diligentius custodiri) intelligendas. *In portis Angeli duodecim.* Nempe his excubitoribus quidnam oro minus purum minusve honestum intus auderet irrepere ? Hinc non immeritò huic Civitati inscriptum : *Nihil coinquinatum intrabit in eam.* Jam ipsa Civitas quantis nituit splendoribus ? *Ipsa* (inquit) *Civitas aurum mundum simile vitro mundo : lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi Jaspidis, sicut crystallum.* Vitream scilicet atq; crystallinam, animam expedit esse Religiosam, totam velut diaphanam, totam mundam, atquè pellucidam omnisq; maculæ & umbræ expertem. Ut autem in ea Civitate nihil omnino mediocre, nihil vile foret : *Plateæ* (inquit) *Civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* Per has verò etiam affectus appetitusq; humanos eosq; nihil abjectum nihil maculosum præferentes quis prohibeat intelligere, atq; ita in hac tota imagine totius animæ imò corporis quoq; Religiosi castimoniam æstimare ?

Non aliter quam in eo, quod de tribus pueris in fornacem Babilonicam injectis, ac

omnino illæsis Daniel: Quod scilicet etiam *odor ignis non transisset per eos.* An non ad talem scilicet nobis expediret eniti Castimoniam, quam non tantum ullus ignis concupiscentiæ fumus infuscaret, sed nec ipse quoq; ignis ejusdem afflaret odor, imò neq; etiam per transennam absq; ulla licet noxa & afflatu permearet. Cujus Symbolum Rubus quoq; ille Mosaicus, qui cùm arderet, non comburebatur: ad quod Cassianus lib. 12. cap. 13. *Non minus mirabile opus est, hominem carneum carnales affectus in carne positum respuisse.* Uti ipsi etiam dœmones apud Drexel: par: 1. Rosar: cap. 10. cuidam illecebrarum talium triumphatori acclamarunt: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti & non arsisti.*

Nisi illud summum esset, quod idem Joannes Apoc: 14. *Vidi & ecce Agnus stabat supra montem Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunq; ierit, sine macula enim sunt ante thronum DEI.* Ubi quid castius vel eo ipso, dum non Angelicis tantum, sed ipsius agni immaculatissimi insistitur vestigiis

giis atq; etiam eo ipso cum eodem Agno in montem Sion hoc est sublime Sanctimoniæ & gloriæ imò ad ipsum DEI thronum ascenditur. Unde D. Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 13. *Per meritum* (inquit) *incorruptionis*, *quo à terrenis & carnalibus delectationibus se dividunt*, *in superna Redemptoris gloria sublimantur.*

Ne tamen solum Empyreum in Jerusalem cælesti aut in monte Sion adumbratum excellentioris castimoniæ referat effigiem; etiam à terra illius derivemus Symbolum: *Dilectus* (inquiunt Cantica) *qui pascitur inter lilia*: Et certè Religiosæ eæq; castitate præfulgentes animæ, lilia sint necesse, quæ dum non vulgari inter alios flores candore nitent, hoc ipso extra plebeiam sortem & cunas evecta, regium quiddam præferunt, illo insignia lemmate ac titulo quod lilio inscripsit quispiam: *Meruit candore coronam.* Non plebeia nimirum nec vulgaris nostra castitas sit: sed ea quæ lilium in integro exprimat, *cui nec odor desit, nec candor*, candor in anima & moribus, odor in fama.

Talisq; defacto castimonia Josephum Patriarcham throno Regio admovit, ut Pater suus illud ipsi ingereret: *Numquid Rex noster* Genes. 3.

 eris?

eris? Quæ verò Josephi castitas? Illa scilicet quæ nefariæ Putipharis uxori reposuit; *Quomodo possum peccare?* En quantam hîc Adolescentis castimoniam! quæ illi ipsam pænè potentiam peccandi sive ademit abstulitq; : sive edomuit ac frænavit: simulq; Regem fecit, Isidoro Pelusiota lib. 4. cap. 79. id ipsum attestante: *Etenim unum castitatis opus coronatur utpote regium.* Et certe quidnam aliud intemerata castitas? quàm illa pulcherrima & castissima Abisai, quàm dum vellet Adonias, per interpositionem Bethsabeæ habere uxorem respondit Salomon: *Postulas Abisai Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum.* Atq; ita si illud conjugium summa ipsius regni post se videbatur trahere gubernacula: quidni intaminatæ etiam castimoniæ possessioni longè nobilius regnum deberetur? Quanquam scimus quantum apud ipsos quoq; Ethnicos hæc eadem virtus in Vestalibus fuerit plane regaliter honorata.

Genes: 29.

Nec vero inferior illa in Joanne Castitas, utpote quæ illum ipsi Christi pectori cordiq; admovit. *Præcucurrit ille citius Petro* ad salvatoris vitale sepulchrum: hoc enim quoq; castitatis privilegium; in Sacris Olympiis omnibus

Joan: 20.

aliis

aliis præcurrere, braviumquè occupare sanctitatis.

Quid dico præcurrere? imò prævolare. An non enim Typus ac Symbolum illius hæ ipsæ columbæ, quibus oculos Sponsi Sponsa assimilat: *Oculi ejus sicut columbæ: super rivulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.* Quis enim candor, quis nitor quæ puritas harum volucrum esse debuerat, quæ lacte lavabantur, quæ non alibi; quàm inter rivos aquarum, inter fluenta purissima continuo habitabant: atq; sic ad vivum excellentem, ad sublimeq; sui pretium evolantem exprimebant castimoniam. Uti de illa sensit Angelus ille qui teste Petro Sanch: p. r. c. 8. S. Victoriæ & S. Anatoliæ post deliberationem & certamen inter se mutuum de vitæ statu eligendo peractum, virginitatis propositum amplexis apparens dixit. *Virginitas est aurum, viduarum status argentum, conjugalis castitas cuprum:* Jam Patri Ledesma (uti de eo P. Nadasi) B. Virgo cum SS. Magdalena, Catharina Martyre & Catharina Senensi apparens eumq; in proposito castitatis nutantem confirmans, hanc illi stropham in abitu suo per Cant: 4.

Socias

Socias prædictas cantari curavit: *Divina res est castitas, divina sunt & præmia, quæ continenti dat DEUS.* Inde est quod Eccl: 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ:* Sapientiæ autem 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud DEUM nota est & apud homines.*

Proinde Hieroglyphicon Castitatis (de quo Imago primi Seculi Soc: lib. 2.) est Virgo in Zodiaco. *Sicut enim illa regnans terram maximè frugiferam facit; ita si castitas in animo hominis regnet, fructus honoris & gratiæ copiosos germinare facit.* Jam verò S. Chrysostomus Hom: de pæniten: apud Drexelium p. 1. Rosar cap. 10. addit: *In Zodiaco signum Virginis inter Libram & Leonem positum; ut indicetur, pro Virginitate & castitate servanda, semper fortitudinem & temperantiam necessariam esse: nam Virgo,* eodem teste *à bello nunquam cessare potest.* Unde Sanctus quoq; Hieronymus Epist: 140. ait: *Gentilem errorem Deas Virgines armatas finxisse cum scuto & lancea: ut significarent, sine bello pudicitiam non posse defendi.*

Dum autem paupertatem castitatemq; eo usq; proveximus: nec obedientiam humi repere permittamus. Sit illius Symbolum ille ipse Sol, quem Josue ad occasum naturali cursu properantem suomet verbo & jussu stitit: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Et hæc plane est non vulgaris, imò usq; ad prodigium obedientia: dum non minores stellæ, sed soles etiam virtute & scientia adulti, voci ac imperio simplicis hominis obediunt, & in ipso etiam naturæ & gloriæ cursu contra naturam & cum ipsius naturæ violentia vel uno quandoq; nutu inhibentur: aut si pergere jubeantur, etiam augustas Jovis vel Saturni domos ac speciosa quævis munia relinquentes, ad ignobiles casas & vilia quæcunq; obsequia promptè se transferunt, imò in Ecclipsim etiam & occasum æquanimiter abeunt. Adverte vero quod tunc cum præciperet Josue, aliud soli dictaret natura, scilicet ne subsisteret. Obvenire insuper poterant tot in oppositum rationes. Orituram scilicet exinde non modicam perturbationem & confusionem in toto universo, ingens juribus Lunæ & noctis aliisq; planetis præjudicium futurum, imputaturos errorem soli annotaturosq;

OBEDIENTIA non vulgaris.

Josue 10.

rosq; in perpetuum Astronomos: toti id orbi monstri adinstar habendum. Nec tamen tot rationibus & motivis solem motum, quòminus voci Josue obediret. Uti etiam cum temporibus Ezechiæ retrocedere ab occasu juberetur. Quanquam parum est solem obedivisse: plus est obedivisse tunc Angelum: obedivisse motricem solis intelligentiam, seq; unius hominis judicio & imperio subdidisse. Quid dico Angelum? Imò DEUM ipsum attestante scriptura: *Obediente* (inquit) *DEO voci hominis.* Atq; hæc est vis obiedientiæ non vulgaris, non stellas, non soles tantum, non rudiora phænomena, non ignes fatuos, sed Angelos, sed intelligentias, sed deos aut deastros ad nutum flectere. Qualis fuit Divi Xaverii obedientia de quo illud in ejus officio: *Vastæ remotas Indiæ*
Plagas obit Xaverius:
Loiola sed vel literà
Si jusseris, revertitur.
Nec Sol ut ut promptissimus
Vel stare, vel recurrere
Volente jussus numine
Talis resorbet orbitam.

Quales & illi monachi de quibus Joannes Climacus cap. 4. de Obedient: cùm ad quoddam monasteriũ venisset: *Quosdam vidisse in eo Senes canitie venerandos, & annis senioq; graves, ita ad obediendum, huc q; & illuc discursandum promptos & dispositos ut pueri agiles viderentur &c.*

Huc spectat illud Propheticum: *Habitabit lupus cum Agno, pardus cum hædo accubabit, vitulus, leo, & ovis simul morabuntur: Puer parvulus minabit eos.* Quid enim magis singulare, magisq; inauditum quam Leones & pardos suæ magnitudinis, virtutis, indolis & roboris conscios ad unius parvuli nutum vivere. Agnos etiam & oviculas eodem moderamine iisdem Leonibus convivere lupisq; pariter & pardis. Ita tamen ut in hoc ipso Religiosæ obedientiæ insigne admodum eluceat exemplum: Cujus est leoninos etiam spiritus, nec servam voluntatem tantùm, sed intellectum quoq; unius pænè ut ita dicam rudioris pueruli directioni prompto & hilari obsequio subdere ac velut sub jugum mittere. Uti de semetipso S. Franciscus Seraphicus (attestante hoc ipsum Chronico Ordinis) dicere solitus: *Inter alias* Isai: 11.

gratias, quas divina bonitas in me plenâ congessit manu, etiam hac me dignata est: ut animo tam libenti, unius horæ Novitio, quam cuivis veterano quamlibet prudenti obtemperarem.

Idq; ipsum illarum adinstar stellarum, (ne penes solem omnis laus maneat) de quarum promptitudine eo in passu refert scriptura: Baruch: 3. *Vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus! & luxerunt ei cum jucunditate.* Ubi quam prompta quam jucunda quam numeris omnibus absoluta obedientiæ ratio: Quot documenta ac insignia! vix inprimis vocatæ, illico obediunt, stationem relinquunt, firmamento affixæ moventur, forsitan infra etiam descendunt: ac nescio quæ ignota terrarum spatia petunt. Uti Rotæ inscriptum: *Quocunque vertar. Nulla* utiq; ex effato Sancti Indiarum Apostoli lib. 2. Epist. 4. *Locorum spatia obstant obedientiæ.* Nec dicunt: ibimus sed jam *adsumus*: Ubi miram plane in obediendo celeritatem & commendationem advertas. Uti & in illo: quòd adfuerint obedierint *cum jucunditate*: Cùm defacto insignis promptitudinis sit parere etiam in arduis ac difficillimis jucunde ac hilariter: non examinata etiam voce à quo profecta est:

Vocatæ

Vocatæ (inquit) *adſumus.* Uti in Samuele contigit, cùm ipſe illi DEUS loqueretur, ille autem nequaquam diſcrevit à DEOne an ab Heli vox illa profluxerat? pro æquali exiſtimans ſive voci Dei, ſive voci obtemperare imperantis hominis. Ubi illud ſimul expendas, Deum tunc vocem Heli uſurpaſſe ac imitatum fuiſſe, ut vel inde pateat vocem ſuperiorum eſſe vocem DEI, DEUMq; voce ſuperiorum ad nos uti & loqui. Ita ut hîc etiam illud uſurpari ad DEIq; per ſuperiores intimata imperia dirigi deberet; quod diſcipuli Pythagoræ, ejus dogmatibus abſq; controverſia ſubordinati uſurpabant inquientes: *Ipſe dixit.* 1. Reg: 3.

Neſcio vero an non plus præſtitere ſtellæ quas DEUS contra Siſaram pugnaturas, velut in aciem eduxerat: *Stellæ* (inquit) *manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* Cùm hoc ipſum legitimæ nec popularis obedientiæ ſit, non tantum ad plauſus triumphos, & commoda, ſed ad pugnas quoq; & cruenta prælia præſto adeſſe, ita ut etiamſi velut inter ſtellas fixas eſſe videaris, ad unicum imperium, dilectam quantumvis cogaris relinquere ſtationem, teq; laboribus ac incommo- Jud: 5.

 dis,

dis, imò sanguinolentis certaminibus ultro impendere. Idq; non absq; certa quorumcunq; insultuum victoria, uti spopondit Prov: 21; Salomon: *Vir obediens loquetur victorias.*

Quid dico certaminibus? imò morti etiam, & gravioribus ipsa morte probris. Qualis fuerat obedientia Christi: *Factus obediens usq; ad mortem, mortē autem crucis.* Quodsi verò hæc talis obedientiæ excellentia in militari vigere consuevit disciplina: Quemadmodum Scipio Africanus apud Plutarchum quandam turrim supra rupem in medio mari constructam indigitans, illud de suis militibus edixit: *Nullus* (inquit) *horum omnium est qui non conscensa hac turri semet in mare præcipitaturus sit, si ego jussero.* Quanta oro in cultoribus Religiosæ disciplinæ obediendi promptitudo elucere deberet, etiam scilicet cum vitæ impendio. Exemplo hac in parte celebris illius Stiliconis Ducis: cui cùm immissi ab Honorio Imperatore milites manus iniicere conarentur, illeq; primò se acriter ac strenuè defenderet; ubi Imperatoris voluntate id fieri cognovit, manus illico dedit, seq; interfici passus est. Sic Teribasus teste Plutarcho cùm contra immissos in se

Theat: Zving:

mili-

milites acinacem strinxisset, illiq; præceptum Regis afferrent, confestim ensem abjecisse fertur, manusq; vinciendas præbuisse.

Quanquam hoc ipsum pæne æquiparatur morti: non manus tantum,non pedes,non oculos,non linguam,non etiam voluntatem solam, sed caput quoq; & intellectum obedientiæ immolare. Idq; adinstar immolationis Isaac, qui non aliter futurus erat digna DEO hostia, quàm si paterno ensi caput subderet præcidendum. Aut etiam adinstar Lacedæmoniorum, quorum severissimis legibus teste Eusebio Cæsar: cautum erat, ne iis qui ad capessendam Rempublicam venissent,fas esset de legum æquitate disputare. Prout quoq; S. Hieronymus Epist: 4. ad Rust: cuidam monacho suadebat, ut nunquam de majorum suorum sententia judicaret; sed illud à Moyse sibi dictum applicaret: *Audi Israel & tace.* Et hoc ipsum est,caput obediẽtiæ devovere. Idq; longè gloriosius, quã cùm ad hoc Imperatoris Turcarum imperium: *Da mihi caput tuum* Principalissimi quicunq; Bassæ & ministri absq; cunctatione sua capita neci offerant.

Præmium & fructus talis Obedientiæ

Hinc inter lapidem quo David Goliam percussit, ac inter gladium quo caput ejus ab-

ſtulit, diſcrimen eſt: Hic enim poſt peractam victoriam ad Sacrarium Divinæ domûs deferri, Ephod involvi, ibidem appendi meruit: ille neſcio quo projectus; etiam in profunda oblivione ſepultus manſit: Verùm quo id oro gladii merito, demerito lapidis? An non ex eo, quod lapis Davidicus collimaverit quidem ad frontem eamq; percuſſerit, caput tamen reliquerit penes collum & jugulum, à toto corpore indiviſum: Jam gladius ita collum feriit ut idem caput penitus abſciderit. Etſi verò ludentis hæc inter ſeria ingenii cogitatio: certè tamen excellentiſſimæ ſimul obedientiæ Symbolum, caput & intellectum, quo præmium ſui obſequii non vulgare referat immolantis.

Quod vero præmium? *Diſciplina tua* (inquit Pſal; 17, David) *correxit me in finem.* Euſebius è Symmacho legit: *Obedientia mea augebit me.* Augebit inquam amplioribus ultra alios donis & gratiis, augebit virtutibus augebit cæleſti gloria.

Hinc de Sponſo Cant: 1. *Collum tuum ſicut monilia*: Quo ſcilicet jugum excipitur: quod cum capite ad nutum obedientiæ inclinatur & ſubditur. Sic nempe illud eadem exor-

nat

nat obedientia. Proinde etiam Christus *Factus obediens usq; ad mortem*, id ipsum eo testatus est, quod *inclinato capite emiserit spiritum.* Propterea vero *exaltavit illum DEUS & dedit ei nomen supra omne nomen.* Non immeritò fabulati antiqui Jovem sospitatorem in uxorem duxisse - - - obedientiam. Ex hoc autem conjugio natam - - - Felicitatem, Sancta vero Catharina Bononiensis in libello DEI jussu conscripto ait: *Quis dubitare potest de sua salute, si finiat vitam in obedientia, per quam credat firmiter se melius salvandum, quàm per ullam pœnitentiam, jejunium, & quamvis contemplationem.* Huc spectat illa senis cujusdam in Vitis Patrum quâ ad quendam Tyronem usus est, de obedientia adhortatio: *Intende fili virtutis hujus aliquod ex parte vestigium: Obedientia Salus est omnium fidelium: Obedientia Genitrix est omnium virtutum: Obedientia Regni cœlorum inventrix est: Obedientia cœlos aperiens, & homines de terra elevans: Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum cibus est, ex hoc enim áblactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.*

Apud Adrian. Lyræ: de Imitat: Christi Pat:

Hîc præterea locum habet, quod in vitis etiam Patrum Quidam ex iisdem Patribus narravit: *Se vidisse quatuor ordines in cœlo: Infirmorum, Hospitalitatem sectantium, Eremitarum, Obedientium, hos vero idest obedientes torque & coronâ aureâ fuisse exornatos.* Ut non omittam illud quod in Speculo Exempl. legitur: scilicet cùm quondam Fratres ad Innocentii Monachi Sepulchrum se conferentes dicerent: *Ergo o Innocenti mortuus es?* Respondit ille ex sepulchro: *Obediens mori non potest.*

Quanquam totius etiam Religionis ab obediendo dependet integritas. Uti quoq; de Spartanis Theopompus affirmavit: illorum Rempublicam stare *peritia jubendi & Obediendi.* Solon autem apud Stobæum interrogatus, quâ ratione, salva posset esse civitas? respondit: *Si Cives obtemperent suis magistratibus, magistratus autem legibus.* Inde est quod Cyrus Persarum Rex (prout testatur Alexander ab Alex:) militem, qui cùm hostem interfecturus gladium eduxisset, & classico audito, ictum cohibuisset, hostemq; dimisisset, præ aliis laudibus extulit: tanti obedientiam militarem æstimans

Et

Et hæc nobis paupertas, hæc castitas, hæc obedientia tot præter dicta, scripturæ, aliorumq; testimoniis elucidata tum ab aliis Religionum suarum Fundatoribus tum à S Patre nostro Ignatio accuratissimè præscripta, tot Regulis expressa, tot monitis inculcata, tot firmata exemplis, ita ut ad ejus perfectionem nihil amplius desiderari videatur. Quam si ad amussim impleverimus, absq; dubio apicem sublimioris Sanctimoniæ, tum præmia exactissimæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ tenebimus.

ADHORTATIO III.

Patientia Religiosa non vulgaris: sublimioris Sanctimoniæ individuus Comes & Assecla.

POst essentialia Religionum nuper compēdiarie expedita, nescio an non primam Religiosarum virtutum merito debeam recensere patientiam. Cùm enim Religiosus status quoddam, ascetarum judicio, idq; continuum Martyrium sit; quisnam oro potiorem in Religionibus locum patientiæ derogare voluerit? Aliæ videlicet virtutes hîc veluti ex parte peregrinæ

& hospites sunt, hæc pænè una ceu perennis materfamilias eaq; constanter inquilina, imò & dominatrix: Præsertim quòd ita sublimiori etiam Sanctimoniæ se associet, ut individuus ejus comes & assecla esse videatur. Ut igitur hanc etiam ad non vulgarem promoveamus conditionem & sortem, inpræsens conabimur.

Ubiq; ac in omni statu patientiæ locum non deesse, nemo est qui ambigat. Nempè illi non pauperum tantum servorumqs ergastula, sed regum etiam Principumq; patent augustalia. Hinc non incongrue quispiam asseruit: *Regiam sortem splendidam esse servitutem.*

Sicubi tamen, in religionibus certè patientia, & quidem non vulgaris inveniatur necesse est: ita ut non tantum Romanum, sed etiam Religiosum sit: *Magna agere & indigna pati.*

Quod olim DEUS Prophetæ, idem sibi quisq; Religiosus dici intelligat: *Dedi te in Civitatem munitam & in columnam ferream & in murum æreum.* Et certe plebeia oppida, luteæ casæ, extra tormenta & bellicas machinas, extra arietes, extra validos insultus, extra ictus sunt; Et si levibus quandoq; tangantur adver-

Jerem: 1.

sis:

sis: tam facile dissipantur & corruunt, quàm parvo negotio exstructa fuere. Jam munitæ arces, jam robusta mænia, jam proceræ turres & colossi, quot patent insultibus: quot concutiuntur machinis; ita ut si hostis in terra desit, non desit cœlum, quod immissis ab alto fulminibus violenter feriat. Et hoc ipsum est robustæ infractæq; magnitudinis, tot & tanta ferre, nec cadere. Undiq; premi nec opprimi. Atq; sic non alia Religiosæ mentis tum non vulgaris patientiæ debet esse conditio. Ea scilicet, quæ non levibus tantum adversis, sed maximis etiam ictibus par sit sustinendis; ita ut in illis non tantum non corruat, sed firmius consistat dum premitur. Non dissimiliter quàm de Jobo S. Basilius hom: 4. de grat: act: *Nonne Job adamantino corde erat? non impacta ipsi erant ex lapide viscera?* Prout quoq; quidam magnus Princeps apud Drexel: in gymn: pat: cucurbitam aquis innatantem pro Symbolo sibi pingi jusserat cum Lem: *Luctor non mergor.* Alius vero ventosæ pilæ adscripsit: *Concussa surgo.*

Idq; adinstar Palmæ cui Scriptura Justum assimilat: *Justus* (inquit) *ut Palma florebit.*

rebit. Ea nimirum hujus arboris natura eſt, ut congeſtis in ſe etiam in immenſum oneribus non tantum non frangatur, & fatiſcat, imò potentius ſolidetur, aſſurgat ſublimius. Aut certè illius adinſtar ligni, cui Pſaltes eundem Juſtum comparat: *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet.* Nempe fragilis aliqua & vix extimæ telluri inhærens arbuſcula, minime eſt neceſſe ut ſuccidatur bipennibus, ut à centimanis Gigantibus radicitus evellatur, ut in eam Boreales venti ac fulmina deſæviant: violentæ circumquaq; eluviones irruant, letales ictus concutiant; vel unius Noti afflatu læditur, unius pueruli niſu evellitur, modicæ pluviæ decurſu profligatur & ſternitur: ſecus procera firmiterq; radicata arbor, quam non decumani fluctus ac turbines, non jurati ventorum impetus, non quæcunq; bipennes manuſq; conficiunt; imò ſtabiliunt magis, radicant profundius, uberius propagant: ita, ut de illa dici veriùs poſſit quam quod de quopiam alio Pöéta. *Ceu fluctibus obvia rupes, cui neq; de cœlo metus, & fracta æquora cadunt, ſtat cunctis immota minis,*

nis,

nis, timet ipse rigentem Pontus. Aut certè quod alibi de alia arbore: *Duris ut Ilex tonsa bipennibus Per damna, per cædes, ab ipso Ducit opes animumq́ ferro.* Uti idipsum de Hercule apud Tragæd: *Inter vapores positus & flammas minas, correpta flectens membra, adhortatur, monet, gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit animum ministris: urere ardentem putes.*

Qualis ille quoq́; de quo sub alia allegoria Ecclesiasticus: *Non illidetur quasi in procella navis* Sicut videlicet minutarum ac invalidarum triremium est, minima tempestate concuti, dissolvi, obrui ac mergi: Validarum è contra beneq́; compactarum navium nullis fluctibus cedere, ridere, *provocare Euros Neptunumq́ Patrem*, nullâ jacturâ sui, inter adversas quasvis tempestates versari. Ita Religiosæ nec vulgaris patientiæ est in gravissimis etiam adversis, integro semper infractoq́; animo esse: Ut olim Anaxarchus tyranno reponebat: *Anaxarchi pellem tundis, animum non tundes.* Agesilaus quoq́; teste Plutarcho in Lacon: cùm arderet podagræ doloribus, eumq́; Carneades invisisset, atq́; exiret tristis: *Mane* (inquit) *Carneade nihil enim illinc huc pervenit:* Ostensis pedibus

bus & pectore, significans pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse. Aut certè qualis in mare ejectus Jonas fuerat de semet annuntians: *Flumen circumdedit me & omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt; abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Ubi non uno parvo gurgite, sed toto mari mergitur; ut inde illustrior ac prodigiosior, emergeret, devoratus à pisce nec absumptus: acsi ipsâ illum pro vallo muniente abysso: præclaro sanè insignis patientiæ Symbolo: in cujus caput etsi tota sese effundant maria: adhuc illam non ita obruent, ut inde thaumaturga enatare non possit: inter mille dentes quibus roditur semper integra, nunquam consumpta; juxta illud scripturæ: *Cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.*

Quid Patientiam æquoris procellarumq; triumphatricem enuntio? cùm illa iis etiam ipsis procellis amarisq; fluctibus, quibus absorbentur & merguntur alii, deliciosè pascatur, eosq; suaviter absorbeat: *Inundationem maris* (inquit scriptura) *tanquam lac sugent.* Hoc nempe ipsum Patientiæ non vulgaris proprium est, non tantum quæcunq; amara quomodocunq; acceptare

ac ferre, ſed etiam velut cum guſtu abſorbere, ſapore quodam ac dulcedine in illis perfrui, imò ad ea, velut ad lac & mamillas, adinſtar infantum aſpirare, ardentiq; orexi ferri.

Et hæc talisq; patientia utpote non plebeja, triumphalis omnium adverſorum domitrix non immerito apud Apoſtolum ſplendidè incedit coronata: *Non coronabitur niſi qui legitimè certaverit.* Unde vero illi hæc corona pulchrius texatur? quàm ex ipſiſmet adverſis quæ generoſè tolerat, glorioſè triumphat. Ita plane, uti Soli (quod alibi etiam convenienter) nubibus circumſepto inſcriptum: *Me nubila victa coronant.* Aut illius adinſtar, quod Pellegrinus teſtatur: Domitianum ſcilicet Cæſarem ita egregium fuiſſe ſagittarium, ut fugientem cervum ſagittis impetens, *caput ejus telis coronaret.*

Et hoc eſt quod ait Propheta: *Coronans coronabit te tribulatione.* Quæ autem hæc tribulatio in coronam effingenda? Novimus utiq; quæcunq: minoris momenti artefacta, quacunq; ac viliore etiam, aut ſaltem mediocri materia conſtare: Jam ſi diadema regio capiti fabricandum ſit, non qualicunq; metallo, imò nec ipſo cujuscunq; examinis auro opus eſſe:

Atq; ita non alia quoq; sit tribulatio, quæ adversorum triumphatoribus in coronam formetur. Ultra id, quod congruè patientiæ adscriptum: *Patientia colligit rosas*, quibus utiq; sui cultores coronet. Nisi quod vile admodum esset coronamentum ejusmodi: cum Deus longè pretiosiore diademate nostras tolerantias rependat: uti inter alios B. Gulielmo Roschildensi in Dania Abbati nonagesimum annum agenti monstratum est, qui per noctis quietem vidit Angelos coronam auro gemmisq; distinctam affabrè texentes: cumq; obstupescens quæreret, cui eam appararent? Respondentes audivit: sibi parari, & tunc perficiendam esse, cùm satis passus esset.

Liceat hic Angelum Apocalypticum spectare coronatum. Quo vero diademate? admodum raro ac insigni. *Iris* (inquit) *in capite ejus.* Iris inquam è nubibus, quæ sunt tribulationum Symbolum, efficta, aut progenita. Et meritò tali debuit insigniri diademate, qui post terram terrenaq; omnia infra pedes abjecta, non tenuem rivum, non flumen decurrens, sed mare tribulationum integrum superavit, calcavitq;, hisce omnibus longè major longeq; Superior. *Posuit pedem dextrum super mare, sinistrum super*

Apoc. 10.

per terram. Idq; eo gloriosius, quod cùm eum nubes omni tempestatum genere referta undiq; contexisset, adhuc tamen serenâ adinstar solis facie resplenduerit: *Amictus nube, facies ejus sicut Sol.* Et idem planè de Ethnico etiam Socrate apud Senecam Epist: 104. *Hæc usq; eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverit. Non hilarem quisquam non tristiorem vidit Socratem, æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ:* Proinde solari vultu: Uti etiam Cato, de quo Idem Ibidem. *Nemo mutatum Catonem toties mutata Republica vidit, eundem se in omni statu præstitit, semper idem extitit.* Hic planè locum habet, quod Magnus Præses Rhodiorum Equitum Franciscus Villadumius in Symbolo circumtulit, scilicet Solem cum inscriptione: *Vbiq; similis* (Engelgr. Dominica 2, Quadrag.)

Nec alio profectò diademate dignus ille quoq; fuerat qui de se audacter pronuntiaverat: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Job 6. Ubi tam rigidos dolores ac pænas, inter solatia numerat, reponit inter lucra. Aut ille qui in eo gloriatus: quod fusius recenset: *Ministri (inquit) Christi sunt, plus ego: In laboribus*

boribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: Et longè plura alia. En quanta specimina, non vulgaris, *abundantius supra modum*, non unius etiam mortis discrimina sustinentis patientiæ. Nisi quod de gentilibus quoq; scilicet de Persis Stobæus id referat, nempe morem apud illos fuisse: ut si quem Civium Rex citari, & quantumvis innocentem flagellari jussisset, ille sic cæsus, amplissimas ageret gratias, quod Rex sui tam benevolè meminisset.

Quid de illis de quibus Sap: 3. *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.* Ubi in tolerantia adversitatum, quid in his mediocre, quid vulgare? dum non auro qualicunq;, sed fornace probatissimo, non cuicunq; hostiæ, sed quæ de integro nulla sui parte relicta, absumenda erat, hostiæ utiq; holocausti, comparantur. Eo pertinet quod Psalmo 43. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus velut oves occisionis.* Non dicit: Lupi aliæq; nocentes bestiæ, Nempe jucundissimum DEO holocaustum ex innocenti ovium, idest justorum grege: Talisq; præ aliis, scilicet absq; ullo de-

merito

merito gloriosa patientia. Hinc cùm quidam Phocioni condolens diceret: *Innocens moreris!* ille reposuit: *Vis ut nocens moriar?*

Et quia superius allata Psalmi verba: *Justus ut palma florebit*, alii legunt: *Justus ut phœnix*: Certè quid insignius quid rarius tali patientiæ cultore, qui Phœnicis adinstar rogos non refugit, sed se in illos sponte iniicit, promptus dissolvi in pulverem, modo integra sit patientiæ virtus & gloria, ac velut ex cinere suo reviviscat & assurgat. Præsertim quod juxta Poëtam: *Ordo renascendi est, crescere posse malis*.

Quanquam non absimilis ille, quisquis de se protulit: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*: Myrrha inquam quæ vel conteri vel in ignem mitti non detrectat, modo suæ odorem tolerantiæ spargat. Præsertim quod etiam egregiis viris ipsæ ærumnæ in decus & gloriam cedunt, Uti Sidonius ad Narbonensem urbem: *Noli* (inquit) *te ipsam erubescere, quòd te machina crebra perforarit: Namq; in corpore fortium virorum laus est amplior, amplior cicatrix.*

Nec certè alia patientia de ratione ſublimioris Sanctimoniæ eſt. Prout in illa anima adumbratum eſt: quam neſcio qui cum admiratione contemplantes, ſeſe ad invicem interrogant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ?* Unde vero hic virgulæ talis aſcenſus? certè non aliunde, quàm à myrrha in pulverem contrita, ad ignes damnata, ignibus exuſta. Nec aliter facilius noſtra quoq; virtus, & Sanctitas aſſurgit aſcenditq; in ſublime: quàm dum ſic inter adverſa velut inter ignes ponitur probaturq;. Ita ut hîc etiam locum habeat, quod Salamandræ inter ignes poſitæ adſcriptum: *Dat flamma vigorem.* Aut quod apud Pöëtam: *Alma licet virtus, adverſa ſorte prematur, preſſa tamen victrix altius ire ſolet.*

Sic Matth: 21. Chriſtus ait in parabola: *Homo erat Paterfamilias qui plantavit vineam & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim.* Quid verò interim convenientius hæc vinea, niſi anima juſti? quid torcular niſi patientiæ ſtudium? quid turris? niſi ſublimioris ſtructura Sanctimoniæ; En igitur uti hîc Turris non ſi-

ne

ne torculari, nec sublimior Sanctitas sine tolerantia eaquè non vulgari. Novimus utiq; quanta à torculari eodem uvarum pressura ac tormentum.

An non vero talis patientia præter alia *Moysen DEVM Pharaonis* constituit? Cùm etiam Stoicus de Ira lib. 2 cap. 25. *Multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu? Ferte fortiter: hoc est, quo DEVM antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam.* Alio vero loco: *Ecce par DEO dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus: Ecce spectaculum DEO dignum.*

Atq; hujus, talisq; patientiæ si nos quoq; strenui voluerimus esse imitatores, absq; dubio ejus coronæ & gloriæ quam patientia operatur compotes esse merebimur. Non aliter tamen nisi in palmam hanc ejusq; culmen & fastigium ascendamus: frustra in radice vel medio fructus ejus apprehensuri. Imò nec tentaturi quidquam pro DEO ejusq; gloria egregium juxta Divi Indiarum Apostoli effatum: *Quorum* (inquit) *virtus in ærumnis & insectationibus spectata non est, his nihil magnum rectè committitur.* Lib. 4. Epistolâ 9. Ut igitur magna agamus

mus pro DEI gloria animarumq; salute, magna quoq; patiamur ac immoriamur patiendo. Illud nobis quod Sanctior quæpiam anima occinendo : *Pati & mori.* Aut illud etiam mente versando, quod Seneca: *Ego* (inquit) *Herculem fleam, quòd vivus uritur? aut Regulum, quòd tot clavis configitur? aut Catonem, quòd vulnus suum iteravit? omnes isti levi temporis impensâ invenerunt, quomodo æterni fierent.* Et hæc ipsa nobis quoq; æternitas gravissima quæq; efficiet levia, amarissima reddet dulcia: ipso etiam id ipsum insusurrante Apostolo: *Momentaneum & leve tribulationis genus æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*



ADHOR-

ADHORTATIO IV.

Humilitatis Religiosæ, profundissimi utiq;, non vulgaris Sanctimoniæ fundamenti sublimitas.

DUm Asceticis adhortationibus non vulgarem promovemus Sanctimoniam, quid aliud facimus, quàm exstruendo spirituali ædificio materiam comportamus. Et quia hujus ejusdem ædificii potissimum fundamentum est Religiosa humilitas; ideo ad hoc etiam ipsum ut non vulgare nec perfunctorium sit, nostram inpræsens operam ac dictionem conferamus.

Satis superq; perspectum habemus, à fundamento totius fabricæ molem dependere: ita ut quò sublimior atq; excellentior structura educenda est; eò quoq; profundius, firmius, perfectius, nobiliusq; fundamentum habeat necesse. Attestante etiam in rem Nostram D. Augustino Serm: 10. de verbis Domini: *Quantam quisq; vult & disponit superimponere molem ædificii; quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm construitur, in superna consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur.*

Dum igitur & nos non cujuscunq;, sed sublimioris Sanctimoniæ fabricam aggredimur; de qua certè cum præfato Doctore loqui licet: *Quod est fastigium construendæ Fabricæ quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? Cito dico: usq; ad conspectum DEI.* Quomodo proinde nil de proportionato fundamento non providebimus? Et quia hoc non aliud est, quam Religiosa ut diximus humilitas, monente etiam, loco citato, eodem S. Augustino: *Cogitas (inquit) magnam Fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Ex quo *& Fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.* Quisnā itaq; illius hoc est humilitatis mediocritate contentus esse volet? Sicubi hic certe detestanda omnis mediocritas, eoq; in tui humiliatione connitendum, ut amplius non habeas, quo te magis magisq; humilies.

Sic planè, ut in Jacobi Patriarchæ contigit spectaculo: Vidit ille *scalam stantem super terram & cacumen ejus tangens cælum. Angelos quoq; DEI ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum Scalæ.* In quo

verò

verò hic non vulgaris humilitatis idea & exemplum? Dicerem in descendentibus infra Angelis. Verum horùm alii dum descenderent hæsêre circa medium, alii terræ, alii Coelo propius. Ita ut quisq; illorum habuerit, quò se ultra demitteret, nullus in gradu infimo constiterit, nullus quieverit in ipso humilitatis fundo. Unde non stantes, non quiescentes dicuntur, sed descendentes, ex quo videlicet gradus scalaq; supererant, per quam se inferius possent demittere; altius etiam ascendere parati. Ideoq; hîc descensus cum ascensu, demissio cum elatione permista fuisse videbantur: *Vidi* (inquit) *Angelos ascendentes & descendentes per eam.* Quis igitur hoc in passu longè pulcherrimum veræ ac genuinæ humilitatis de se præbuit spectaculum? Pleriq; Doctores aiunt Dominum non in summo scalæ, sed in infimo innixum fuisse, adeoq; in illo eximium humilitatis non vulgaris eluxisse Symbolum: in eo inquam, qui se ita demisisset, ut non posset magis: in illoq; humilitatis sese collocasset gradu, post quem alius non esset, in quem se ulteriori sui demissione conferret: Si enim per Scalæ gradus Sacri Interpretes Creaturas intelligunt; quisnam oro

ſeſe poteſt illô demittere inferius, qui ſe demiſit infra omnes? Unde non immeritò Dominus dicitur fuiſſe *innixus Scalæ*, ſeu (ut alii) *incubuiſſe eidem*, id eſt *quieviſſe*: Cùm enim nihil amplius ſupereſſet quò deſcenderet, omnino illi poſt tantum humiliationis exactum ſpatium incubandum, velutq; in termino quieſcendum erat. Pleriq; ita deſcendunt, ita ſe humiliant; ut vel inde altius ſeſe erigant, aſcendantq; ſublimius: adeoq; ipſa illis humilitas ad elationem ac ſuperbiam gradus eſt. Nempe conſiſtere nonniſi ad modicum, & non quieſcere norunt in humilitatis declivi. Ea verò perfecta demiſſio, quæ non aliter novit ſeſe præcipitare ad infima, niſi ut ibi ſine ſpe ac molimine aſcensûs quieſcat.

Nec alia demiſſione inclaruit lapis ille Propheticus, qui ſpreto eo omni, quod in auro argentoq;, ære ac ferro ſublimius erat, ad pedes uſq; ſtatuæ, ad fundum utiq; humilitatis ſe deiecit; idq; non alio fine, quàm ut ibidem quieſceret. Lapidi nempe ſurſum attolli violentum, in centro decumbere, juxta naturam eſt. Et hinc facile diſcrimen patet, tum inter hunc eundem lapidem, tum inter illum Davi-

dicum, quo caput & frontem Goliæ feriit. De illo inprimis proditum, quòd ita creverit in montem magnum; ut universam terram repleverit: de hoc Davidico, quod assurrexerit in rupem saltem modicam, nihil posthumæ memoriæ relictum est. Quæ autem in utroq; hujus discriminis ratio? Nempe hic Propheticus, eò se ut audiimus demisit, quo loco ipsa humilitas consedisset. Davidicus iste non tam fundæ jactu, quàm fastu quasi elatus, áéremq; verberans in caput ipsum impegit: atq; sic fronti infixus, cum collapso in terram Philistæo, eodem & ipse casu, infra, dum se ad verticem erigeret, corruit: Clariori ultra meridianam lucem documento, non aliter facilius in sublime virtutis & gloriæ quemq; eniti posse, quàm propriâ veræ humilitatis ruinâ, quæ quò profundior, eò Sanctimoniæ fabrica sublimior, eò gloria speciosior. Uti in simili apud Plinium acclamatum Trajano: *Tanto major, tanto augustior.* Insuperq; de eodem additum: *Hoc magis excellit atq; eminet, quod unum se ex nobis putet*, excellenti utiq; demissione id ipsum dictante de qua illud etiam in universali Plinius: *Cui nihil ad augendum fastigium superest; hic*

uno modo crescere potest; si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ.

Quid enim inter quatuor Cherubica animalia, præ illis ipsis, superius Aquilam collocavit? *Facies Aquilæ desuper illorum quatuor.* Ezech: 1. Nisi quod se illa præ iisdem eò profundiùs quò ex altiori gradu demiserit. Aliis quippe animalibus, homini scilicet, bovi, leoniq; ex natura in terra repere solitum est, ita, ut per id, vix humilitatis laudem adepta fuerint: quòd se currui gloriæ divinæ adjunxerint: Jam Aquilæ à summo aere, à præcelso supra Cedros Libani collocato nido, ab ipsa Regia solis, heroica sui demissio. Et hæc planè Cherubica humilitas, quæ quo se ex sublimiori gradu ad infima dejicit, eo superius præ aliis culmen Sanctimoniæ obtinet. Præsertim cùm Divus etiam Laurentius Justinianus eandem humilitatem *Reginam Virtutum* nominaverit. Ipsius Symbolum Piscis Purpura dictus: qui juxta Pierium lib. 27. Hierogl: *Ascendit ad regium ornamentum; prius tamen in profundo pelagi quæri solet, ubi solùm invenitur.*

Ad eumq; planè scopum collimavit ille, qui insigni resolutione illud de se protulit: *Vi-*

lior

lior fiam plus quàm factus sum. Factus inquam à natura, fortuna, gratia. Non qualicunq; videlicet sui humiliatione contentus, ad profundiorem aspirabat; ut vel sic fundum humilitatis inveniret, ac merito dicere posset: *Ego autem humiliatus sum nimis.* Certè enim *nimis*: cùm se etiam coram reprobato Saule canem eumq; mortuum appellaverit: etiam si jam tunc in in Regem unctus fuerit. Ecce verò, quò hunc DEI Servum sua provexit humilitas? Eò scilicet, ut illud de semet addiderit: *Ero humilis in oculis meis, & gloriosior apparebo*: Insuperq; illum eadem humilitas supra omnes populi Israelitici Reges, imò secundum ipsum Cor DEI Sanctimoniâ & gloriâ collocaverit. Quanquam & ipsi Sauli à Samuele dictum: *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* De Phraate autem Rege Horatius: *Jus Imperiumq; Phraates, Cæsaris accepit genibus minor* idest infra genua Cæsaris ejusdem se humilians. Uti & Mithridates infra genua quoq; Pompeii se demittens regium de manibus ejus diadema recepit.

Quid de Divinissimo Baptista quo *non surrexit major inter natos mulierum*? Unde

enim

enim hic ascensus? si non ab ipsa in quam se præcipitavit humilitatis abysso: cum se eo etiam indignum profiteretur: *Vt corrigiam calceamenti Salvatoris dissolveret.* Ad quod S. Augustinus tractatu 4. in Joann: *Quodsi dignum se diceret, quàm humilis esset? Quando autem nec ad hoc se dignum dicit: verè plenus Spiritu Sancto erat.* Hinc est quod etiam de Servio Rege Romanorum Seneca: *Servium* (inquit) *Regem tulit Roma, in cujus virtutibus, humilitate nihil clarius.*

Præsertim cùm eadem ipsa humilitas, non quomodocunq; suos cultores ultra alios crescere faciat; sed eos quoq; plusquam regia donet dignitate & coronâ: hinc Sponsæ in Canticis, in præmium humiliationis ac descensûs de Libano, hæc eadem dignitas & corona defertur: *Veni de Libano coronaberis.* Lilium quoq; à Christo ipsi præfertur Salomoni: *Nec Salomon in omni gloria sua sicut unum ex istis.* Ultra id quod de illo Plinius: *Nulli florum excelsitas major.* Seu quod apud Pòëtam: *Flores supereminet omnes.* Unde verò tanta illi sublimitas? certe non aliunde, quám quod ab eodem Plinio subiicitur: *languido* (inquit)

collo

collo eſt, & quaſi non ſufficienti capitis oneri. Idq; pro demiſſionis Symbolo & nota.

Haud diſpari ſorte ab illa Eliæ nubecula; quæ dum omni faſtu contempto, infimi humani veſtigii ſpeciem induit, ultra mare & terras evecta, in copioſos diffluxit imbres ac fructus: *Ecce nubecula parva aſcendebat de mari quaſi veſtigium hominis: & facta eſt pluvia grandis.* Nempe nulli magis ſublimiore Sanctimoniâ eminent, uberioresq; ſuis prædicationibus ſudoribusq; velut profuſo imbre animarum proventus efficiunt, quàm qui inſigni humilitate infra ipſos pedes ac veſtigia aliorum ſe deprimunt. Ut id non memorem, cujus Neotericus quispiam admonet: *Sine* (inquit) *alios in mirabilibus ſuper ſe, ſuper aliorum capita volare, tu humili lætus in ſcabello vel ſcabellum omnium factus remotior es à ruina.* Ita ſicut *qui jacet in terra non habet unde cadat.* Ex floribus Indicis.

Imo nulli etiam efficacius in intimam ipſius DEI amicitiam & gratiam ſeſe inſinuant; quàm qui eâdem humilitate, longè aliis præſtant. Quemadmodum celeberrimus ille Abraham, qui ad Divinum colloquium admiſſus, illud fidenter prolocutus eſt: *Loquar ad Do-*

minum cùm sim pulvis & cinis : Vel ideo scilicet sibi divini colloquii & gratiæ patere adita intellexit : quòd se in suppedaneum usq; cinerem humilitatis artificio transformasset.

Quid verò Sponsus ad Sponsam : *Vulnerasti* (inquit) *cor meum in uno crine colli tui*: sunt qui legunt : *cepisti, captivasti.* Quis vero talis crinis captivans cor Sponsi idest Christi? Respondet Rupertus in Cant: *Quid gracilius , quid flexibilius crine unico ? quid subtilius & contractius humilitate? capillum unicum vix oculi deprehendunt , humilitas eo deprimit hominem , ut vix sese inter homines numeret.*

Quanquam hoc ipsum probatissimæ Sanctimoniæ Lydius lapis est ; ita se infra dejicere , ut etiam calcari protériq; velis. Uti S. Joannes in sua Apocalypsi de Cœlesti Jerusalem : *Aurum* (inquit) *mundum plateæ ejus.* Hoc enim certè ipso ex vili metallo in aurum degeneras : si in modum plateæ ad calcandum te deiicias, eò pretiosior quò humilior. Licet verò aureus defacto esses , eo saltem ipso calcari desideres ; ut probes te aurum non plumbum esse. Quod enim hîc calcatur , aurum est.

Ecquis

Ecquis vero Verbo Incarnato ſeſe potuit deprimere profundius, de quo Apoſtolus: *Humiliavit ſemetipſum formam ſervi accipiens.* Nimirum non accidentia tantum, non extimam aliquam humilitatis ſuperficiem inducere, ſed ipſam ejus formam aſſumere voluit. Imò abdicatâ ipſius formâ hominis, vermem, ad ſe etiam calcandum proterendumq; induit. *Ego* (inquit) *vermis & non homo:* Quid dico vermem? Imò tandem inſigni humilitatis gradatione in nihilum abiit. *Ecce ego* (inquiens) *tanquam nihilum ante te.* Ut ſic nobis hac in parte ſuo exemplo præluceret: ſimulq; quò talis duceret humilitas, in ſeipſo declararet: nempe ad eam exaltationem, quam in ſemet idem Chriſtus aſſecutus eſt, atteſtante Apoſtolo: *Propterea exaltavit illum DEUS:* Exaltavit inquam ad ſupremæ Divinæ gloriæ poſſeſſionem locationemq; ad dexteram ipſius DEI Patris: incomparabiliter verius atq; excellentius; quàm dum Athenienſes Pompeio adventanti, divinosq; honores recuſanti ſcripsêre: *Quatenus te cenſes hominem, eatenus nobis eris DEUS.* Cùm præterea S. Ambroſius in Serm: *Apud P. Tob: Lohner in Bibl:*

Quisquis cupit divinitatis tenere fastigium, humilitatis ima sectetur.

Et hæc talisq; humilitas non tantum ad divini cordis, sed ad cœli etiam totius delectamentum, juxta illud Psaltis: *Fluminis impetus lætificat Civitatem DEI*: Fluminis inquam ex natura sua tanto majori decurrentis impetu, quanto majus invenerit declive & profundum.

Defactoq; talem animi demissionem, tum Evangelium tum quodcunq; Religiosum institutum sui sectatoribus unice commendat: ita, ut etiam Sanctus Pater noster Ignatius non alio suam Religionem, quam minimæ Societatis insigniverit vocabulo; nempe ut eo illam deprimeret, quo nullus sese deiicere inferius magisq; decrescere posset. Hic utiq; superlativus diminuens ac deprimens est; proindeq; in infimo gradu collocans.

Hanc igitur ipsam nobis quoq; sectari conveniat, ut inde ad sublimiorem enitentibus Sanctimoniam, tanto expeditior ascensus patefiat.

ADHORTATIO V.

Resignatio sui in DEI superiorumq; voluntatem ac plena indifferentia, sublimioris Sanctimoniæ manuductrix absq; errore dexterrima ac felicissima: eaq; non vulgaris.

HUmilitatem Religiosam fundamentum esse ædificii spiritualis communis Ascetarum enuntiat decisio: nosq; immediata adhortatione ediximus. Et quia ex fundamento totam ædificii consurgere molem novimus: hinc ex humilitate quoq; tota virtutum ac perfectionis Religiosæ structura attollitur. Quoniam verò Resignatio sui ac indifferentia non postremum locum in eodem ædificio Spirituali occupat, atq; etiam à vera animi demissione tanquam germana Soboles promanat: ita ut sublimioris etiam Sanctimoniæ non alia dexterior omnis erroris expers feliciorq; manductrix ultra illam cogitari possit: ideo de hac inpræsens ad non vulgarem mensuram & excellentiam provehendâ nobis agendum erit.

Numerosam virtutum seriem Religiosa intra se recenset perfectio. Aliæ tamen ex his cum secularibus nobis sunt communes: aliæ

Religiosi peculiares Instituti. Inter has verò Resignatio ac Indifferentia potissimum numeranda: quæ si ad quos, maximè ad Religiosos pertinet, ita ut illorum vix non propria esse censeatur. Si quam igitur virtutem, certè hanc ipsam, pænè vel maximè in nobis Religiosis decet esse non vulgarem: ut simus velut viva quædam ad DEUM ejusq; Sanctissimam voluntatem, tanquam ad solem, quodammodo Sympathice conversa heliotropia.

Optimè eandem Resignationem adumbratam legimus in illo lapide quem jam toties velut Zizyphi versamus, Prophetico, quemve Rex Babylonius vidit per Somnium, *Abscissum de monte sine manibus, percussisse Statuam in pedibus fictilibus*: tum *crevisse in montem magnum ac replevisse universam terram.* Ubi duo nobis in hoc uno lapide consideranda occurrunt. Viva in primis in ipso Resignationis non vulgaris effigies: tum admirabilis ejus ipsius resignationis successus. Quoad primum? hoc unum dixisse sufficiat: quòd hic lapis Propheticus lapis fuerit: lapis inquam ut innuitur, *Sine manibus*: quibus scilicet suæ fortunæ faber esse potuisset: sine pedibus quibus sueta ambien-

ambientium æmulo passu decurrisset Olympia, suis occurrisset incommodis; sua commoda properantius insecutus fuisset: sine oculis quibus sibi prospexisset: sine capite ac cerebro quo suæ sorti propriisq; consuluisset emolumentis. Sine lingua, quâ patronâ pro sua domo fuisset usus: sine corde, quo in amorem & affectum erga rem quampiam vel excellentiam privatam exarsisset: sine palato sine ventre, in cujus gratiam & commodum laborasset: sine omni sensu, quo seu adversa, seu prospera sensisset intimius. Lapis deniq; totus alienæ de se dispositioni ac regimini plene relictus: nulli suæ curæ, industriæ, ac solicitudini obnoxius: Nullius rei appetens, nihil detrectans: quocunq; loco se reponi ac in eodem etiam licet infimo per ævum relinqui, quacunq; manu tractari imò & percuti, cuicunq; se usui adhiberi imò & proiici omnino patiens. Neq; hic ulla indignatione movetur, se ad pedes usq; statuæ, se ad lutum dejectum. Insuper nec id etiam questus, quasi aliud illi, alia quæpiam sublimior meta deberetur; ex quo non de humili aliqua conditione, sed de ipso nobiliore forsitan monte sumptus esset, ab alto suam duceret origi-
nem

nem. Et videte iam, quo hâc suâ indifferentiâ evaserit? Nempe eo usq; quo nec Aquila alarum suarum impendio evolaret, quo nec Gigas Centimanus imponens Pelion Ossæ ascenderet, quo nec ipse pertingeret Atlas aut excresceret Olympus: quo nec Phaeton curribus paternis devectus fuisset: *Crevit* (inquit scriptura: *in montem magnum, & implevit universam terram.* Terra utiq; tota, latitudinis erat spatium: quis igitur, si proportionem spectes, terminus altitudinis? Neq; vero alia Religiosi plenè resignati ac indifferentis conditio: qui ut in sublime virtutis meritorum donorum & gloriæ cælestis excrescat, orbem famâ Sanctitatis non vulgaris impleat; adinstar lapidis sit: hoc est omni ex parte sui negligens, totus in alienam projectus voluntatem: ac si omni affectu, sensu, appetitu, ac etiam intelligentiâ carens. Uti & ille alter Propheticus lapis de quo Zach: 3. *Ecce lapis quem dedi coram JESV.* Quidnam vero de illo DEUS ibidem apud eundem Prophetam? *Ego* (inquit) *celabo sculpturam ejus.* Acsi ipse DEUS potens de lapidibus excitare filios Abrahæ curam illius & celaturam in se suscepisset.

Et hujus defacto apprehensionis ille fuerat, qui ea aspiratione ad DEUM suum usus est: *In manibus tuis sortes meæ.* Acsi dixisset: Absit ut ego, vel digitum ad promovendam quamcunq; meam sortem admoveam. Integram in tuas manus ac sinum repono, intactam relinquo. Quidquid evenerit, velut de tuis manibus æquãimissimè expecto. Illud supremæ meæ felicitati duco, quidquid è sinu nutuq; tuo in me defluxerit. Neq; ea sui resignatione exerravit vel tantillum. Dum enim suis se manibus expedit, divinis relinquit; in eam sortem evectus est, ut illum eædem manus ipsi cordi divino admoverint, extulerint supra omnes. Plane hîc congruit quod Neotericus in Floribus Indicis: *Si tua* (inquit) *voluntas in DEI voluntatem transeat, supra dominium fortunæ, imò supra naturæ jura positus beatus es.* Psalm: 30

Quemadmodum ille de quo Angelus ad Zachariam: *Erit magnus coram Domino:* Magnus utiq; excellentissimâ Sanctimoniâ & merito. *Etenim* (additur in Evangelio) *manus Domini erat cum illo.* Quæ namq; manus eo nos efferat? quo suos effert manus ipsius Altissimi.

Ut non amplius mirum ſit eos Apoc: 1. in ſtellas primarias degeneraſſe, qui ſe huic ipſi dexteræ commisêre: *In dextera* (inquit) *habebat ſtellas 7.* Longè feliciori prodigio, quàm cum Midas manuum ſuarum attactu omnia in aurum converteret.

Nec alio ſpectat illa Pſaltis reſolutio: *Vt jumentum* (inquit) *factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Quid autem jumento ad quævis etiam viliſſima & uſus quosvis indifferentius, quid tractabilius? ita ut nec nobilioribus oneribus ac ornamentis efferatur, aut afficiatur vel minimum, nec vilioribus quibusq; obſequiis reluctetur, pro eodemq; illi ſit cuicunq; applicari uſui, & cuicunq; muneri. Qualem ſe profecto erga divinam præſtitit providentiam Pſaltes: cùm hæc ipſa de ſe pronuntiaret: *Vt jumentum factus ſum &c.* Dum verò ita ſe ad omnia flexibilem exhibet, & uni ſupra terram ſub quovis onere reptanti jumento confert: ecce illico ultra tellurem provectus, in ſole cum Aquilis obtutum figit: ut ipſemet animam ſuam alloquitur: Pſalm: 102. *Renovabitur ut Aquilæ juventus tua*: Imò ipſius etiam DEI lateri ſe ſtrictiùs admovet: *Et ego* (inquit) *ſemper tecum.* Quan-

Quanquam libeat hic à virga Aaronica indifferentiæ petere Symbolum. Diu illa sive Moysis sive Aaronis tractata manibus, ad Regum Ægyptiorum delata non semel augustalia. Sic tamen arida, inops, infructuosa remansit. Vix ad DEI propitiatorium delata, vix in Numinis solius ibidem præsentis tutelam ac providentiam projecta verius, quàm reposita: ecce illico unius noctis impendio in flores ac fructus sese explicuit: evidenti documento, nullos quibus cunq; etiam beneficentissimis manibus commissos, citius sive in Sanctimoniā, sive in Sanctimoniæ præmiū efflorescere, quàm qui se unius Dei per Superiores eos regentis tutelæ penitus subjecerint. Idq; adinstar illius etiam arboris, cui in Psalmo Justus assimilatur, deq; illa Psaltes inter cætera illud enuntiat: *Quod scilicet folium ejus non defluet.* Id autem ipsum non inconvenienter Heliotropio quoq; Resignati plenè in Deum hominis Symbolo applicatur: de quo illud Plinii apud Drexel: *Heliotropio sunt æterna folia.* Uti alibi etiam apud Pòëtam ubi *æternos flores æternū cernere fructū est.*

Nec frustra S. Pater Ignatius sui instituti Religiosos in manibus DEI ac Superiorum

non aliter quàm velut ſenis baculum eſſe voluit. Aliud quippe eſt, baculum ſeu virgam in manibus ſenis, & aliud, in manibus cujuspiam alterius degere. Scimus utiq; ſive juvenes, ſive alios adultiores viros non raro virgam & ſcipionem ad uſus nobiliores tractare, intráq; ornamenta & inſignia dignitatum reponere, ſæpe ſupra terram imò ſuum caput altius attollere. Jam baculus ſenis, ita ſe ab eo tractari ſinit, ut telluri ac luto infixus toties, unius ipſius obſequio totiq; ſenilis corporis oneri ſuſtentando absq; ulla ſui dignatione continuò deſerviat, eademq; ſorte contentus, ad ſublimiorem nequaquam aſpiret. Nec alia quoq; eorum ſit ratio, qui ſe DEI ac ſuperiorum de ſe diſpoſitioni plenè ſubmiſerunt. Nempe ut non ſcipiones honorarii eſſe ambiant, ſed ut ſenis baculi ad omne obſequium omnemq; uſum verſatiles. Quo vero id ſucceſſu? certè non alio quam quo Virga Moyſis dum velut in deſpectum jubetur à DEO in terram proiici: *Tolle Virgam tuam & proiice eam coram Pharaone* thaumaturga effecta, tot prodigiorum patratrix extitit, ac dulces etiam poſtea aquas è petra elicuit: quo Virga Minervæ apud Homerum,

pristi-

pristinæ formæ & pulchritudini socios Ulyssis restituit: quo Virga Chimica attactu res mutat in aurum: quo virga aurea idem aurum ac thesauros latentes monstrat ac invenit: quo virga Mercurii insignibus apud Pòëtas notis claret effectibus. Imò quo baculus ille Jacobi Patriarchæ, non modica eidem ipsi emolumenta & lucra contulit: *In baculo* (inquit) *transivi Jordanem, & nunc cum duabus turmis regredior.* Quos enim fluctus, quas difficultates ac ipsum etiam Jordanem, divini scilicet fluvium judicii non facile superat? quas meritorum aliarumq; opum spiritualium turmas non congerit? quisquis prædicti baculi in semet similitudinem refert.

Ejusdemq; omnino generis illa Religiosi ad cadaver per eundem S. Patrem Ignatium instituta comparatio. Quid enim pariter resignato Religioso, exanimi cadaveri similius? num enim illud plus regum augustalia, magnatum domos, excellentia quæcunq; habitacula, quàm angustam & putridam tumuli & urnæ domunculam exambit? ita ut quocunq; loco illud reposueris, nullo unquam indicio displicentiam bilemq; prodat. Insigni planè Religiosæ æqua-

nimitatis Symbolo, quam ad omne officium, pariterq; omnem locum ita indifferentem esse convenit: ut illud sibi cum Stoico toties ad solamen inculcet: *Intra has* (inquit) *terras Hercules cœlum meruit.*

Nisi quod hoc ipsum etiam magni adinstar solatii, nec postremæ sortis est, non tantum quo ad prædicta, sed etiam quæcunq; alia; cum ipsius DEI voluntate conformem vivere: idemq; velle quod DEUS ipse vult: idem nolle quòd non vult. Hinc Eccles: 2. *Sapientis oculi in capite ejus.* Quod verò istud caput est, nisi DEUS, ejusq; voluntas Sanctissima. Unde in hunc locum S. Gregorius (apud Tob: Lohner.) *Qui omnem obtutum in DEO, DEIq; voluntate figit, hic verè Sapiens est.*

Quid vero ipsemet Christus in Evangelio? *Quicunq; facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, soror, & mater est.* Jam Isaiæ 62. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit; & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu DEI tui. Non vocaberis ultra derelicta, sed vocaberis voluntas mea.* En quot conformium cum divina voluntate Privi-

legia!

legia! Proinde si Hierophantus (teste Plutarcho) Themistoclis filius gloriabatur, *quidquid ipsi placuisset, id populo quoq; Atheniensi probari; suæ etiam Sententiæ Matrem suffragari:* Quanta illis gloriatio, quorum idem sentire & velle quod ipsius DEI.

Non immeritò tot viri Sanctissimi, quorum hîc sententias & exempla non refero, tanti conformitatem suæ voluntatis cum divina æstimârunt, ut in ea omnem vim Sanctimoniæ posuerint. Imò ipsi quoq; Ethnici Sapientes, præcipuam suæ Philosophiæ partem in ipsa collocatam arbitrati sint, ejusdemq; observatione ad ruborem & confusionem ipsorum etiam Religiosorum hominum claruerint. Audiamus hic Epictetum lib. 3. dissert: cap. 26. *Appetitum meum obedientem præbui DEO: vult ille me Febricitare? volo & ipse: vult me aliqua re potiri? volo & ipse. Non vult, nolo: Mori me vult? mori igitur volo Vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init: si se DEO dederit, se iter tutò confecturum. Quid est istud, dedere se DEO? ut quod ille voluerit, & ipse velit: & quod ille noluerit, & ipse nolit &c.* Et alibi: *mihi quidem optabile*

est

est à morte me invadi, nulla alia re, nisi voluntate mea curanda occupatum, ut perturbatione vacuus & liber, dicere possim DEO: numquid præcepta tua violavi, numquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? num sensibus? num te unquam incusavi? num gubernationem tuam reprehendi? ægrotavi quia voluisti: ægrotarunt & cæteri, sed ego volens. Pauper fui te volente, sed lætus. Non imperavi, quia tu voluisti, nunquam appetivi imperium. Numquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? numquid unquam vultu, minus hilari te accessi? Paratus siquid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc legentem occupet mors.

Jam Seneca de se quoq; ipso Epist: 96. *In omnibus quæ adversa videntur & dura sic formatus sum, Non pareo DEO, sed assentior. Ex animo illum, non quia necesse est sequor. Nihil unquam mihi accidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem ad quæ gemimus vel expavescimus, tributa vitæ sunt.* At Plato etiam apud Drexel: in Heliotrop: illam vulgo precationem damnabat: *DEUS det tibi quid-*

quid

quid velis. Imò nunquam det, inquiebat, *ſed faciat ut velis, quod ipſe vult. Hæc enim eſt pura religio: ſic te religes DEO.*

Et certe ſi nos etiam his tantisq́; inſtiterimus veſtigiis & exemplis: proculdbio hanc ipſam Reſignationem tam perfectam pro inſigni admodum ad ſublimioris Sanctimoniæ terminum, eaq́; absq́; omni errore dexterrima ac feliciſſima manuductrice habebimus.

ADHORTATIO VI.

Mortificatio interna & externa ſublimioris Sanctimoniæ vigilantiſſimi cuſtodes ac propugnatores iiq; non vulgares nec ignobiles.

DUm ſublimioris Sanctimoniæ impigrè promovemus fabricam: ecce tot conjurati hoſtes, eam aut impedire, aut quamprimum diſiicere moliuntur. Nec eos paucos numeramus. Alii enim extra nos ſunt, alii intra nos, iiq́; proinde domeſtici. Inter hos hoſtem præcipuum, ac velut anteſignanum, ipſum corpus noſtrum recenſeo: quod dum cum ſuis concupiſcentiis quaſi conſcripto exercitu militat adverſus Spiritum, etiam ſimul il-

lum aggravat, sive ne in sublime virtutis ac sanctimoniæ assurgat, sive ut assurgentem retro demoveat deorsumq; præcipitet. Contra hunc igitur hostem, cum denso admodum tot passionum, concupiscentiarum, pravorumq; habituum exercitu adversum nos procedentem bellum inpræsens aggredimur, arma corripimus: nec minus potentem antagonistam, & propugnatorem mortificationem scilicet internam & externam, eamq; non vulgarem eidem obiicimus.

Quo cum majori hoste, nobis dimicandum est, eò potentiorem illi opponimus exercitum. Quis enim Pigmæorum cohortes contra Gygantum turmas instrueret, quis leonibus obiiceret lepusculos, elephantibus formicas, tauris grandioribus, trimestres vitulos, Aquilis passeres? Si Hydra vel leo est, Herculem illi opponas. Si Centimanus Gigas, Jovem fulminantem: si Annibal Scipionem; si Hector Achillem, Theseum si Centaurus.

At verò quisnam major censendus hostis eo, quem intra nos gerimus, ipsâ scilicet rebelli nobis carne nostra? Ille nimirum est, cui ipsi quoq; monstrorum immanium ac orbis

etiam ſuccubuêre domitores: *Victorq́ Meduſæ, victus in Andromeda eſt.* Contra quem ipſemet gentium Apoſtolus acerbè queſtus eſt: *Datus eſt mihi* (inquit) *ſtimulus carnis qui me colaphizet: quis me liberabit de corpore mortis hujus? cupio diſſolvi.* Quis igitur tanto hoſti ſufficiens opponendus Athleta? Certè non alius, quàm mortificatio interna & externa, eaq́; non qualiscunq́; ſed par omnino tam indomito hoſti ſuperando.

Planè eadem duplex Mortificatio, adinſtar illorum duorum gladiorum eſt: de quibus diſcipuli Chriſti in cænaculo: *Domine, ecce duo gladii hic,* Chriſtusq́; reſpondit: *Satis eſt.* Certe enim ad expugnandos quoscunq́; intra nos contra nosmetipſos depugnantes hoſtes, non amplius præter hanc utramq́; virtutem requiri. Quodſi Rex Pyrrhus interrogatus à ſuis, quemnam ſucceſſorem ſibi in Regnū deſignaret? *Qui* (inquit) *acutiorem gladium habuerit.* Profectò nec alius ſublimioris regnum Sanctimoniæ occupaturum ſe ſperet; quàm qui præſtantiori præ aliis utraq́; mortificatione claruerit.

MORTIFI-
CATIO
interior.

Ducamus vero initium ab interna, illiusq; Symbolum ex celebri Regis Babilonii arbore capiamus. Sic illa Daniel: 4. ad vivum depingitur: *Magna arbor & fortis, proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usq; ad terminos universæ terræ, Folia ejus pulcherrima, Fructus ejus nimius, esca universorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli. Ecce vigil & Sanctus de cœlo descendit, clamavit fortiter & ait: Succidite arborem, præcidite ramos ejus excutite folia, dispergite fructus, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus. Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris sunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ.* Ubi quis non videat inprimis, egregiè adumbratum hominem Religiosum, imò etiam quemcunq; alium, passionibus & affectibus nescio quibus obnoxium. Quid enim hîc per arborem intelligimus, quàm ipsum hominem. Quid per proceritatem ejus contingentem cœlum? nisi elationes præsumptionesq; animi immoderatas. Quid per aspectum usq; ad terminos univer-

universæ terræ, nisi curiositates, ambitiones fortunæ, honorum, omniumq; temporalium, ad fines usq; orbis sese porrigentes, ac toto etiam orbe insatiabiles. Quid per folia, quàm vanitatum ostentationumq; aucupia. Quid per fructum nimium, ac escam universorum in ea, quàm rerum superfluarum, sensualitatum, commoditatumq; studia: & hæc utiq; pravorum nutrimenta habituum. Quid per animalia & bestias, quàm appetitus animales, sensuales, irascibiles, concupiscibiles, tum passiones quascunq; amoris, iræ, odii, timoris, aliasq; reliquas. Quid per volucres cœli, nisi garrulitatum ac multiplicium defectuum, pro varietate volucrum, agmina. Hæc igitur universa, & quidem ad normam, hujus Babylonicæ arboris eradicanda penitus, funditus exscindenda. Adsit inprimis vigil quispiam de cœlo, id est oculatissima centocula, lyncea omnium sensuum, motuumq; corporis, & animi, custodia. Adsint obsequentiores ministri, nimirum frequens, imò continuus mortificationis internæ usus. Adsint nequaquam obtusæ secures, id est seria conscientiæ præsertim particularia examina, reflexiones quotidianæ, actus heroici, victoriæ sui,

quibus hæc eadem pravitatis arbor, ſuccidatur, præcidantur rami, ita ut nihil hujus ejuſdem arboris, hoc eſt veteris hominis reſiduum maneat, niſi ſola radix, eaq; omni novitate refloreſcens. Jam ſuccedat vinculum ferreum, id eſt, firmum propoſitum, conſtantia in bono. Tum etiam prompti gratiarum, velut roris cæleſtis influxus. Et hæc defacto talisq; mortificatio interna, planè non vulgaris; quæ ita omnes pravitates eradicet, ut ne veſtigium quidem earum relinquat.

Planè adinſtar illius (de quo ſupra in ſecunda parte) vituli Iſràëlitici, quem non ſatis fuerat Moyſi in angulum quempiam proïjeciſſe, confregiſſe, non ſatis vel in quidpiam aliud conflaſſe; *Vſq; ad pulverem* etiam *contrivit* ac *in aquam ſparſit*, ut penitus demergeret, ac oblivioſo elemento tradens, in profunda oblivione ſepeliret. Imò *dedit ex eo potum filiis Iſràël*: Ut vel ſic calore naturali ipſe quoq; reſiduus ex vitulo pulvis abſumeretur omnino. *Exod: 32.*

Aut certè hoc in paſſu procedendum non aliter, quàm Samſon cum ſuo Leone proceſſerat: De illo ſacer textus: *Dilaceravit* (inquit) *Leonem quaſi hædum in fruſta diſcerpens,*

pens: Non alligans ducturus domum ut demulceret ac cicuraret, vel certè erueret oculos, dentes excuteret, evelleret ungues: ſed potius enecans penitus, ne amplius reviviſceret. Quid enim de Tigridibus Leonibusq; Seneca? *Tigres* (inquit) *Leonesquè nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt, & cùm minimè ſperaveris, exaſperatur torvitas mitigata.* Atq; idem planè de paſſionibus non ſatis mortificatis cogitandum. Certè Leones etiam hi non mulcendi, non cicurandi tantum, ſed dilacerandi, ac penitus enecandi. Parum eoſdem cum Nerone quaſi edentulos facere; adhuc enim ſic ferociunt, iraſcuntur, rugiunt.

Nec aliud egit cum ſuis paſſionibus ac vitiis David cùm diceret: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te DEVS.* Ad quod S. Auguſtinus: *Cervus ſerpentes necat, & poſt ſerpentium interemptionem majori ſiti inardeſcit, peremptis ſerpentibus acrius ad fontes currit. Serpentes vitia tua ſunt, conſume ſerpentes iniquitatis, tunc amplius deſiderabis fontem veritatis.* Ubi, en, quomodo cum prædictis ſerpentibus procedendum, quilve inde fructus colligendus, docetur dilucidè.

Hujus

Hujus vero ipſius ſpecimen in quonam exactius eluxit, ſi non in viris illis Apocalypticis de quibus D. Joannes Apocal: 15. *Vidi* (inquit) *mare miſtum igne & eos qui vicerant beſtiam & imaginem ejus ſtantes ſuper mare.* Quid enim per mare igni permiſtum, ſi non quatuor ingeniti hominibus humores, iiq; velut paſſionum progenitores intelligendi. Phlegma ſcilicet aqueuſq: humor, humor ſanguineus velut Erythreum quoddam, humor Cholericus planè igneus. Humor melancholicus velut quodam amarore marino conſtans vel ſaltem infectus. Hoc itaq; tot confuſum humoribus mare Diviniores Apocalyptici victores ita edomuêre, ut infra pedes calcandum effuderint, omnibus paſſionibus Superiores longè. Nec diſpari ratione cum cruenta proceſſêre beſtia, parte ſcilicet hominis inferiore & animali, eâq; innumeris pæne paſſionum, appetituum, pravorum habituum monſtris, obnoxia. Non ſatis ſcilicet habuêre, ut eam in ſe gloriosè devincerent; etiam imaginem ejus, & omne abolеverunt veſtigium ac notam vel minimam: *Vicerunt* (inquit) *beſtiam & imaginem ejus.*

Nec alius olim hac in parte D. Pater Ignatius, qui cum complexionis alioquin cholericæ foret, ita eam ipsam choleram cum aliis quibuscunq; pravis inclinationibus edomuit, ut omni passione vacuus phlegmaticam naturam induisse videretur. Talis & ille Socrates quem cùm nonnemo ex physi ipsius judicasset sceleratissimum, frementibus discipulis adversus temerarium judicem, ille ipse reposuit: *Planè judicem eundem non errasse. Talem enim omnino se futurum fuisse, ni Philosophiæ studio ipsam edomuisset naturam.*

Quanquam ejus ipsius mortificationis internæ non obscurum Symbolum refert, ille quoq;, cujus etiam, parte allocutionum secunda de dominio passionum meminimus, Agnus Apocalypticus *Tanquam occisus.* Quid enim magis mortificatum censendum est, quàm quod usq; ad ipsam omnium passionum & affectuum internecionem pænè emortuum est. Sic planè agno huic Apocalyptico non satis fuerat extitisse agnum, hoc est animal ex natura omni quasi passione vacuum: etiam velut emori quoad vitiosa quæcunq; debuit; ut vel sic thronum sublimioris Sanctimoniæ insideret. *Et vidi &*

ecce in medio throni agnum stantem tanquam occisum.

Et hoc ipsum defacto de se deq; aliis Coapostolis annuntiat Apostolus : *Mortui sumus & vita nostra abscondita est in Christo* : Ita scilicet vividæ alioquin, in nobis mortificandæ passiones, ut par sit prodigio si reviviscant. Non aliter quàm dum quatriduanus Lazarus è tumulo redivivus prodierat.

Parum verò est illas utcunq; emori. Audiamus enim quidnam Apocal: 19. insonet : *Scribe : Beati mortui qui in domino moriuntur.* Verum quid est, jam emortuos iterum præcipitari in mortem ? si jam morte perempti. *Beati* (inquit) *mortui* : Cur & quomodo moriantur ? Nisi quod nulla hic mortis corporalis adsit mentio. Mortem hic potius mysticam, mortem quarumcunq; passionum pravorumq; habituum intelligi est necesse, quæ ut suæ beatitudinis possessionem ineat, aliâ iterum morte aliâq; corrigatur, qua ne spes quidem reviviscentiæ ultra maneat. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Hocq; ipsum licet Ethnicus Cicero Tusc: Quæst: *Hoc* (inquit) *commentemur mihi crede, disjungamusq; nos à corporibus,*

bus, idest consuescamus mori (nobis ipsis) *hoc & dum erimus in terris , erit illi cælesti vitæ simile : & cùm illac emissi feremur è vinculis , minus tardabitur cursus animorum*

Et id profectò est quod sub alia allegoria Apostolus insinuat : Fideles Christi enuntians velut *superædificatos* , *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo lapide Christo JESU* : Superædificatos inquam velut tigna aut lapides, lateres, marmora, quæ semel circumcisa & expolita , non amplius ad suam naturam & scabritiem redeunt : longè aliter quam vivax arbor, cui etsi præcideris ramos & stolones, reviviscent iterum ac succrescent. Aut quicunq; hortus quem etsi ab inutilibus herbis expurgaveris , renascentur ac repullulabunt denuo.

Et si autem non postremus hic mortificationis gradus sit, ita uti supra diximus, mortuum esse absq; ulla spe reviviscentiæ mundo. An non tamen ille major? de quo Apostolus gloriatur : *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Mortuo namq; pro eodem est honorari vel non honorari imò despici , vilissimè pendi, ita ut inter adversa & prospera, infamiam

& famam, honores ac vilipensiones nullum discrimen ponat, eodemq; animo omnia sustineat. At cui mundus crucifixus est: etiam hoc ipsum quod est ab hominibus, honorari, magnifieri; ab illo gravis adinstar crucis ac tormenti habetur; ita, ut è contra persecutionibus, infamiâ & contemptu delectetur & glorietur vel maximè: cum Apostolo clamante: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESV Christi.* Item: *Repletus consolatione superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Et hoc est verè pulchrum, hoc verè eximium, hoc admodum gloriosum, ita mortificatum in omnibus & quoad omnia vivere. An non enim inde laudatur in Cant: nescio quæ anima; *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Quid enim per pedes calceatos, quam affectus per mortificationem compressos juxta plerosq; intelligimus. Nec aliis pedibus pulchriores in virtute formantur gressus, nec celerius sublimioris Sanctimoniæ superatur Olympus.

MORTIFICATIO exterior.

Neq; verò dissimilis mortificationis etiam externæ ratio sit. Talis videlicet qualem in se exhibuêre illi: de quibus Apostolus: *Carnem*

(in-

(inquit) *suam crucifixerunt cum vitiis.* Duplicem hic mortificationem facilè advertimus: Internam scilicet in crucifixione vitiorum, Externam in crucifixione carnis. Atq; ita utramq; non vulgarem. Parum nempe ac plebeium est: (ut interim de externa nonnisi dicam) parum inquam, carnem concutere, sauciare, convulnerare utcunq;: in crucem ipsam cum omnibus membris agenda est, cruci configenda: juxta illud Apostoli: *Confixus sum cruci.*

Neq; hæc ipsa mortificatio satis est: nisi talis etiam adsit quæ nos toleratis probris plagisq; in ipsum Christum, & hunc crucifixum ad vivum transformet: *Donec* (inquit Apostolus) *Christus formetur in vobis.* Ita ut non sola in nobis stigmata sicut in Divo Assysinate Francisco, sed ipsemet Christus appareat: isq; omnino talis, qualis in Cruce super Calvariæ montem comparuerat. Acsi nobis illud inculcaretur: *Fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte.*

Quid autem illud quoq; ejusdem Apostoli: *Castigo* (inquit) *Corpus meum, & in servitutem redigo?* Parum videlicet illi fuerat tot incommoda, tot injurias, tot probra, tot

 plagas

plagas ab aliis retulisse: etiam ipsemet suo corpori non pepercit. Et videte quonam id modo peregerit? Ita nimirum, ut cum carne sua non sicut cum sua, sed cum aliena, neq; sicut cum amico cum Sponsa cum Concive, sed cum hoste procederet, tamdiuq; illam feriret, donec plene edomitam fœderatamq; sibi habere non contentus, usq; in servitutem redigeret.

4. *Reg.* 13. Pari ratione quà Joas non aliter plenus ac gloriosissimus Syriæ victor & triumphator deletâ usq; ad consumationem Syriâ extitisset; quàm si non semel, aut tribus vicibus, sed usq; septies, aut saltem sexies terram jaculo percussisset. Insigni inde argumento, non delicatè carnem nostram tractandam, non leviter, nec semel raroq; feriendam; ut pleni & gloriosi ejus triumphatores evadamus.

Imò etiam non modicam inde virtutis & gloriæ proferamus messem: idq; adinstar illius agri; cui Isaac filium suum Jacob in paterna benedictione comparat: *Ecce odor filii mei sicut odor Agri pleni, &c.* Quot enim ager per sui culturam perfert vulnera, ut in messem excrescat. Proindeq; nos quoq; cum carne nostra ac nobiscum procedamus non aliter.

Nimirum abundè tot insignium hac in parte, quorum Dives Ascetica historia est, Religiosorum Athletarum memores: Illorum videlicet qui eò mortificatione externa processerunt; ut par fuerit prodigio, quod inter voluntarios carnis cruciatus & macerationes, inter plagas & vulnera sibimet inflicta supervíverent.

Qualem inter alios ad exemplum Christus ipse exhibuit velut talium heroum primipilum Joannem Baptistam: *Venit* inquit *Joannes neq; manducans neq; bibens.* Utiq; tamen manducavit aliquid, scilicet, attestante Evangelio, locustas & mel Sylvestre? utiq; etiam bibit, saltem aquam de Jordane? Nempe ita erat mortificati gustus, ita per inediam maceratæ carnis, tam parcæ per comestionem & potum refectionis, acsi nihil comederet, nihil biberet: vitamq; cum quotidiano prodigio sustentaret. Nisi quòd quantum per mortificationem externam, vitæ temporalis detrahitur commodis, tantum per illam vitæ spirituali præsidii ac roboris additur: Uti Rosæ inter spinas collocatæ adscriptum: *Vallant non violant spinæ.* Jam quis alios hac in materia heroes recenseret facile: uti Paulum, Antonium Eremita-

mitarum antesignanos, Simeonem Stylitam. Catharinam Senensem, Dominicum Loricatum, Andream Zoroardum, cæterosq; pænè innumeros, exquisitos ac heroicos, tum alibi, tum in nostra etiam Societate suimet corporis tortores: quorum vestigia, si pro posse saltem tenuerimus, triumphali pariter gressu in eam in cujus illi possessionem devenêre, gloriam eluctabimur.

ADHORTATIO VII.

Oratio sublimioris Sanctimoniæ nutrix ac conservatrix non vulgari cultu & pretio exhibita.

GRande & magnificum sublimioris Sanctimoniæ ædificium pænè jam construximus: Nec quidquam de ejus ædificii conservatione cogitavimus, ac etiam prolocuti sumus. Cùm tamen præstantissimæ structuræ & moles, parum emolumenti afferant nec diu subsistant; si conservatio earum desit, quæ ipsam etiam maximis impensis comparatam exstructionem si non superat, certè adæquat. Hinc supremo rerum omnium Architecto parum erat admirabilem omnibusq; numeris absolutam mundi

inferio-

inferioris Superiorisquè fabricam construere: si ejus per tot millia annorum conservationi suam non apposuisset dexteram, illiq; gubernandæ ipsas cælestes non admovisset Intelligentias. Idem verò de quibuscunq; fœtibus cogitandum; quos parum est in lucem effundere, si pari nutrice ac conservatrice sui careant. Et quia sublimioris Sanctimoniæ non alia par nutrix & conservatrix Oratione invenitur: ita ut ejus quoq; ad fovendam alendamq; eandem Sanctitatem, (Uti Salomonicæ Sponsæ) *ubera sicut turris*: nec ullus unquam eximiè probus & Sanctus absq; Orationis studio inventus sit. Hanc igitur hodie non plebeio cultu exornandam, nec ad vulgarem statum provehendam assumpsimus.

Quò præstantior fabrica, eò validiore ac operosiore sui conservatrice virtute & dextera; quo nobilior fœtus, eò magis non ignobili nutrice indiget. Quoniam vero talem fabricam talemq; fœtum in sublimiore Sanctimonia agnoscimus: Quidni illi non imparem in Orationis studio conservatricem nutricemq; provideamus: & hanc pro dignitate Sanctita-

tis ejusdem non vulgariter exornemus, atq; attollamus?

Idq; ad instar illius Reginæ, quam Psaltes fusiùs describendam sibi assumpsit: *Astitit* (inquit) *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. & concupiscet Rex decorem tuum: Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnẽ terrã.*

Psalm. 44.

Ubi an non vera vivaq; non vulgaris Orationis elucet effigies? Hanc utiq; inprimis ut talis hoc est non vulgari cultu conspicua appareat, omnino expedit populi sui ac domus paternæ, id est: omnium rerum terrenarum mundanarumque oblivisci, easq; à cogitatione & memoria pænitus excludere; ut tunc dum te ad orandum confers, nihil terrenum, nihil sensuale, omnia Spiritualia ac cælestia sapias, spectes, atq; cogites: tanto magis à turba populari & quasi vulgo

aliarum

aliarum quarumcunq; occupationum ac negotiorum simulq; appetituum (ut vel sic tua oratio inveniatur non vulgaris) corpore & mente semotus, te sursum ultra terram & terrena quæcunq; animo erigas. Jam quo ad ejus cultum? planè hunc decet esse fulgentem auro, auro inquam ardentissimæ in DEUM charitatis, variis, iisq; eximiis coloribus, hoc est: variarum virtutum actibus & affectibus, profundis ac practicis reflexionibus conspicuum; aut certè (ex quo alii legunt pro *varietate*, *circumdata scutulatis*) omni genere Spiritualium armorum adversus quosvis Satanæ & quarumvis suggestionum insultus atq; occasiones ac præcipuè firmissimis propositis heroicisq; resolutionibus velut scutis instructum: *omni gloriâ ab intus* hoc est à puritate cordis, & exquisitissimis intentionibus, ac fervore animi & Spiritus intentissimo derivatâ opulentum. Quo fiat ut ipse Rex Regum decore hoc orationis veluti vi magnetica attractus, eam exambiat, in ejus ipsius concupiscentiam & amorem reciprocum ac æstimationem exardescat, eandem ipsam in filiam adoptet, throno suo ac dextræ admoveat, pretioso meritorum diademate coronet, & velut

Reginam constituat. Innumeris donis, muneribus & spoliis, veluti per manus filiarum Tyri gentilium & divitum plebis, hoc est edomitarum passionum, pravorumq; habituum ac totius cum suis opibus atq; illecebris mundi porrectis accumulet, & locupletet: Pulcherrimo virginum, id est omnigenarum virtutum, quæ Studio Orationis comparatæ eam velut præducem sequuntur satellitio stipari faciat, Matrem tot succedaneorum Patribus, ad principatum virtutis & gloriæ destinatorum filiorum, id est Sanctorum quorumvis insignium efficiat. Atq; sic planè non plebeiam, nec vulgarem spectatoribus terræ cœliq; oculis exhibeat.

Quanquam hanc orationis excellentiam sub alia etiam allegoria Apoc. 5. exhibitam spectare liceat: visi ibidem ab Aquilino Joannis oculo ante thronum DEI viginti quatuor coronati Seniores: *Tenentes in manibus phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes Sanctorum.* Ubi quis non advertat egregiè adumbratam orationis non vulgaris insignem, ad quam eluctari per eximium & operosum ejus studium debemus, præstantiam. Primo illa ita

ab

ab omni terrenarum ſenſualitatum fœtore ſit aliena, ut in pretioſum ac odoriferum quo DEUS ipſe delectetur, thus degeneret. Secundo thuris adinſtar, igni ſe ardentiſſimi divini amoris ſeu mortificationis, quo pulchrius oleat, ſtrenuè injiciat, atq; ſic eodem amore ipſa ardeat. Tertio adinſtar ejusdem accenſi thuris, quaſi ab omnibus terrenis abhorrens, nihilq; terrenum ac temporale cogitans, tota feratur ſurſum, ſolaq; ſpiret cæleſtia. Quartò non in alia quàm aurea veluti phiala id eſt corde ab omni nævo auri adinſtar depurato ante DEI ſeſe præſentet obtutum. Nec ei deſint quibus teneatur, manus: hoc eſt operatio orationi conjuncta. Quæ omnia ſi in illa eluceant, certè à coronatis cæleſtibus capitibus DEI throno & conſpectui admoveri merebitur, atq; ſic ad ſortem non vulgarem evadere.

Niſi quod adhuc parum ſit orationem in eam ſortem provehi: longè excellentius Geneſ: 32. eluxit ejus privilegium: ubi Jacobi Patriarchæ ſive cum Angelo, ſive cum ipſo Deo lucta deſcribitur. Quibus verò circumſtantiis & quo ſucceſſu ea peracta? videamus. De nocte inprimis cepta, duravitq; ad auroram.

Tum post longum certamen velut palma Jacobo à colluctatore DEO his verbis porrecta: *Dimitte me* (inquit) *jam enim ascendit aurora: si contra DEUM fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis.* Hinc novum eidem Jacobo nomen Israëlis hoc est prævalentis Deo inditum, hinc plures in eundem benedictiones congestæ, hinc adversùs Esau qui tantopere ab Israële timebatur, crevit animus. Et quia pleriq; per eam luctam, intensam & constantem Jacobi ad DEUM fusam orationem intelligunt: Proinde vel exinde nostræ typum orationis sumamus hujusq; non vulgaris. Hæc utiq; non dies tantum, non auroram, sed profundas etiam noctes sibi deposcit, ut cùm alii suæ dediti quieti profundo merguntur somno, illa ad DEUM vigilet eiq; vacet. Jam quantam hæc ipsa, quàm constantem requirit perseverantiam? ita ut nullis interrupta obstaculis, tamdiu à sui studio non desistat, tamdiu cum DEO luctetur, donec eum quodammodo captivum teneat. Et hæc talisq; oratio DEI ipsius inprimis, tum omnium adversorum ac tentationum victrix, ipsiusq; naturæ & pravorum habituum atq; passionum domitrix, palmam no-

bis

bis victoriæ porrigit, quotidianos de edomitis in nos undecunq; consurgentibus hostibus triumphos peragit, timores & pusillanimitates depellit, imbecilles & cadentes animos roborat & confirmat, divinis benedictionibus accumulat, egregios, mundi, carnis, diaboli victores ac heroes, verosq; Israeles hoc est ut diximus, Prævalentes DEO, ac inferno quoq; efficit. Utiq; enim Christus ipse in Evangelio gravissimorum dæmoniorum victricem proclamat: *Hoc genus* (scilicet dæmonii) *non potest exire nisi in oratione & jejunio.*

Imò illa, sui constanter studiosos in ipsa etiam illimi eximiæ Sanctitatis splendore nitentia astra ipsosq; genuinos DEI filios commutat: *Ubi eras* (inquit Scriptura:) *cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent filii DEI?* Job. 38. Quid enim se magis in laudes divinas exerit, quam fervens & constans oratio?

Sed quid ego orationem in sublime proveho? cùm nos etiam illa inter astra (ut insinuavimus) collocet, simulq; seipsam, ultra terram se erigens, àërem permeans, nubes pervadens, ultra omnes cæleftes orbes planetasq; evolans, alios quoq; coelos solidos & quasi ære

fusos

fusos ipsumq; cœlum empyreum intensissima vi penetrans , eidem infert, ad ipsumq; usq; DEI thronum, imò cor ipsum pertingit, cœlo, Deoq; non indigna : *Oratio humiliantis se* (inquit Scriptura) *nubes penetrabit* : Item alibi: *Oratio justi penetrat cœlos* : Oratio inquam justi : *Non enim speciosa laus DEI in ore peccatoris* : Sed planè indecora, ignobilis, ac plebeia nec cœlo DEOq; digna.

Et certè talem esse qualem descripsimus nostram orationem expedit , si volumus eam esse non vulgarem. Uti defacto ad eam ipsam suo nobis Christus ipse præluxit exemplo , cùm quadraginta diebus ac noctibus jejunasset , cui jejunio certè non aliud quàm non interruptam ad Deum Patrem orationem conjunxit. Quanquam ultra hanc quadragesimam teste Evangelio toties à turbis secedebat , ut locum orationi quæreret , cui non dies tantum , sed noctes etiam impendebat. Quod etiam in horto Gethsemani præstitit , ut se per orationem ad imminentem passionem & mortem prępararet armaretq; : Ita ut tunc Angelum quoq; sui confortatorem ea oratione è cœlo evocaverit: eô nobis relicto documentô : non aliter melius

adver-

adversus quævis adversa, quàm vigili & indefesso orationis studio præparari armariq́;, non aliter efficacius, quam sic, Angelos ipsos cælestesq́; suppetias ad protectionem & solatia nostra evocari.

Et si Rex ac dominus nullius rei indigens tanti hoc idem studium fecit, quid mirum servos ejus eosq́; omni ex parte egenos ac mendicos tantopere eidem inhæsisse. Non memoro hic Moysen quadraginta dies & noctes orationi, ut tabulas legis divinæ reciperet, impendentem, eundemq́; ipsum, ut hostes vinceret, manus in oratione levantem. Non memoro eadem arte ignem è cœlo ad absumendam victimam evocantem Eliam; non memoro septies in die laudem DEO dicentem ac de nocte etiam orationem simul & lacrymas fundentem Davidem. Non memoro in Babilonica servitute mira per orationem impetrantem Danielem. Non memoro tot alios è veteri testamento, qui vi orationis planè thaumaturga inclaruêre insigniter. Nec tandem memoro Christi imitatores discipulos de quibus Actor: 1. *Quod essent perseverantes unanimiter in oratione*, atq́; sic participes adventus sanctissimi Spiritus

ritus extitissent. Inter quos de S. Jacobo minore S. Hieronymus: de viris illustr &c. illud prodidit: quod usq; adeo flexis genibus DEUM deprecabatur ut callum durissimum obduceret. De Sancto quoq; Bartholomæo Marulus lib. 2. cap. 1. quod centies de die, & centies de nocte flexis quoq; genibus DEO ac orationi vacaverit. De Beatissima verò Matre S. Albertus Magnus: quod omnis ejus vita & operatio fuerit sedula precatio. Et ideo S. Ephrem eam Thuribulum aureum, in quo sine intermissione thus orationis suavissimum offerebatur; appellat. Non memoro inquam hosce omnes: cùm & ipsi Cherubici & Seraphici Spiritus in hoc ipso longè præivêre hominibus, senis alis hoc est intimis affectibus in DEI laudibus ac oratione semper altiùs altiùsq; evolantes: nec die ac nocte ab hoc Sanctissimo unquam vacantes studio, habentesq; requiem.

Jam quis alios huic eidem operi deditos enumeret? Illos Paulos Eremitas, quorum tota cum diebus noctibusq; vita oratio fuit; ita ut nullo vitæ suæ die quidquam prius egerint, quin trecentas orationes genibus provolutis DEO obtulissent. Illos Antonios, qui per to-

S. Athanasius in ejus vita.

Idem.

tam sæpè noctem orantes, solem orientem quodammodo increpabant: Ah quid me impetis o Sol? qui oriris ab amæniore me Sole abstrahens. Illos non dissimiles istis Arsenios in eo ipso, noctes in orationibus quas primo vespere inchoabant, ad auroram usq; traducendi modo. Illos Martinos Turonenses nunquam ac in morte ipsa animum & linguam ab oratione relaxantes, ita ut etiam cùm manibus laborarent, ab orando non desisterent. Illum Hiberniæ Apostolum Patritium de quo proditum: Integrum quotidie Psalterium unà cum canticis & hymnis ducentisq; orationibus consuevisse recitare, tercenties per dies singulos flexis genibus Deũ adorare, ac in qualibet hora diei Canonica, centies se signo crucis munire: nocte tria in spatia distributâ, cujus primum in centũ Psalmis percurrendis, in his centies genuflectendo, alterũ in reliquis 50. Psalmis, algidis aquis immersus, ac corde, oculis, manibusq; ad cælum erectus absolvendis insumebat. Tertium vero super nudum lapidem stratus, tenui dabat quieti. Illos (omissis aliis) monachos, quorum orationes S. Bernardus, nocturnis eorum vigiliis assistens, vidit ab Angelo aureo vel argenteo juxta fervorem

Marulus lib. 2. cap. 1.

S. Athanasius

Spec: Exemp

vorem orandi charactere annotare, cùm aliorum tepidiorum orationes atramento simplici ac etiam aquâ annotarentur. Idem D. Bernardus vidit noctu Angelum thuribulo thymiamate cælesti referto chorum lustrare, divina illa thymiamasi in intimis ferventium præcordiis odores ac fervores cientem, somnolentos autem cum nausea negligentem. Dioraticus quoq; vir Sanctus teste S. Dorotheo vidit noctu in principio Psalmodiæ è sacrario ingredientem Angelum veste splendida indutum, qui omnes Religiosos præsentes obambulando, signabat, uti & subsellia legitimè absentium, pertransisse verò loca eorum, qui per desidiam aberant. Tum & illos Monachos quoq;, quorum orationibus Cuno monachus adeo fuit in morte roboratus; ut licet quindecim millia dæmonum, ad eum oppugnandum convenerint nihil ei nocere potuerint. Post hos verò D. Thomam Doctorem Angelicum, qui cum non minus orationi quam doctrinæ deditus fuisset, illud fatebatur, se eandem doctrinam magis oratione quam labore adeptum: dicebatq; Religiosum sine illa esse militem sine armis.

Nadasi in anno Angel: hebd: 18. num. 8.

S. Doroth. Doctr: 11.

Spec: Exempl

Surius in vita ejus.

Ne verò exempla taceam domestica: An non satis constat quis hac in parte fuerit ultra secessum Manresanum, quem totum orationi atq; contemplationi simulq; mortificationi impendit, tot etiam modorum orandi inventor S. Pater Ignatius? Quis intra orandum toties à terra sursum elevatus, Xaverius? Quis inter suas delicias orationem ponens paululumquè temporis ad eandem continuandam à Marco fratre deprecans D. Franciscus Borgias? Quis Beatus Aloysius tantum studii in oratione quoq; ponens, acsi in ea omnium virtutum summa posita esset. Hinc dicebat: Religionum tam miseras facies ex una oratione neglecta provenire. Illam esse compendiosam ad perfectionem viam, sine illa neminem se perfectè vincere posse &c. Quis in eodem genere Pater Petrus Faber exquisitissimis industriis ad continuè orandum, adinventis celeberrimus? Quis deniq; P. Ludovicus de Ponte; P. Balthazar Alvarez, Joannes Berhmans & Sexcenti alii. Quorum agmen claudat P. Franciscus Suarez: qui Theologiam compluribus tomis cùm egregiè illustrasset, ingenuè fassus est: malle se, quidquid scientiæ acquisivisset perdere, quàm uni-

cam solitæ meditationis horam intermittere.

Quanquam quid mirum Eremitoria atq; Asceteria Religiosa, eo orationis inclaruisse studio, cùm & aulæ principum secularium non tantum non caruere eâdem, sed etiam velut per Sanctam æmulationem non impari laude, cum nescio quibus certavêre Eremicolis necnon Ascetis. Sic Aula Bohemica D. Venceslai Regis de quo illud in vita ipsius: Bohemi Pragæ Venceslaum jam adultum juvenem in Regem eligunt, illiq; habenas Imperii committunt: quòd ille plus jejuniis, orationibus, cilicio, ac aliis piis operibus rexit quàm imperio: illud planè occinens: septies in die laudem dixi tibi. Fuit hic in eo ardor orationis, quòd in summa hyeme nonnunquam ex pedibus ejus sanguis effluxerit, ac ex vestigiis ipsius aliqui incaluerint. Idem de Serenissimo Principe Poloniæ Casimiro. Simile de Elzeario Comite aliisq; non paucis, quibus quoq; Aula oratorium fuit. Ut non omittam piissimum Ferdinandum Cæsarem, cujus precatorios Rosarii globulos plus formidabant hostes quàm bellicas machinas.

Quid verò dico de aulis Christianissimis? cùm ipsa etiam Ethnica superstitio justum nobis pudorem in eo ipso incutere deberet. De Scipione inprimis prodidit Seneca: *Hic ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius publicam privatamq; rem egit, quàm in Capitolium iret.* Deorum utiquè simulacra ibidem oratione ac precibus placaturus, eorumq; ad ritè peragenda negotia imploraturus opem. Cyrus quoq; Rex is teste Xenophonte fuerat: *Vt* (inquit ille) *nihil publicum aut privatum ageret, nisi prius ad DEVM confugeret.* Numam tandem Pompilium, Jovem è cœlo precibus suis deducere potuisse superstitiosa credidit antiquitas. Beyerling:

Et si hic & tantus apud ipsos etiam gentiles fuerat orandi amor & studium: quale apud nos Religiosos deberet hæc ipsa virtus invenire sui pretium: cognitâ nobis tantâ quam exposuimus ejus dignitate, tot perspectis fructibus, tantâ DEI in ea probatâ complacentiâ & gustu, tot aliis stimulantibus motivis, tot docentibus experimentis, tot suadentibus Patrum testimoniis & monitis, urgente instituto ac regulis, prælucentibus exemplis.

ADHOR-

ADHORTATIO VIII.

Amor DEI omnium virtutum ac ſublimioris Sanctimoniæ Rex & Corona.

UT ſublimitatem Sanctimoniæ attingeremus; tot jam virtutes percurrimus. Nec adhuc attigimus coronidem. Reſtat nobis illa, quæ ſicut ultra cunctas eminet, ita ſanctitatis abſolutiſſimæ apicem conſtituit. Hæc verò non alia quàm amor ipſius DEI. Certè enim in virtutum etiam cætu ſuum eſt diſcrimen, ſua cuiq; major minorq; dignitas, ſuus gradus, ita ut aliæ aliis præcellant, hæ ſuperius, inferius illæ cenſeantur. Solus amor DEI emineat ſupra omnes, & velut è ſolio cæteras deſpectet. Niſi quod hic quoq; ſi ſubiectum ſpectes, aut parum nobilis, aut etiam plebejus quandoq; ſit. Talis igitur præſenti à nobis exhibendus dictione, qui omninò ſe non vulgarem ſed excellentiſſimum quoq; ac velut legitimum omnium virtutum Regem ſcribat & glorietur.

Etſi alias virtutes eſſe vulgares utcunq; deceat, Amorem DEI omni ex parte dedecet eſſe plebe-

plebeium Quis enim ferat eximii palatii aut elegantissimæ turris despicatum fastigium, aurei annuli vilem gemmam, nobilissimi Regni ac populi Monarcham non satis nobilem?

Non vulgaris DEI amor.

Cùm igitur Amor DEI excellentissimi Sanctimoniæ ædificii apicem teneat, & Regem se virtutum dicat: quis in illo aliquid vulgare ac minus nobile patiatur? Cùm etiam illam terram beatam enuntiat sapiens: *cujus Rex nobilis est*: Quidni verò Regnum quoq; virtutum pari sorte gaudeat?

Ille itaq; omnino sit amor hic; qualem Sponsus in sua Sponsa esse voluit: *Introduxit me Rex* (inquit illa) *in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Et certè quæ illa inprimis charitas, quis amor ille Regis dignus opere ac ingenio esset? qui aliquid vulgare saperet. Nec talem, hoc est quomodocunq; vulgarem vel inde etiam esse decuit: quod non calice aut aliquâ mediocri mensurâ, sed totâ cellâ vinariâ id est plenâ donorum, & gratiarum cælestium affluentiâ, ali foveriq; debuerit. Alii eundem textum sic exponunt: *Vexillum ejus super me charitas.* Atq; hinc etiam palam est, minimè gregarium DEI amorem debere

esse, qui se in pulcherrimo virtutum exercitu, velut vexilliferum præstat, aut instar vexilli sese erigit supra omnes.

Amoris DEI perfectio.

Et in tali defacto hoc est non vulgari amore sibi complacet Sponsus animarum nostrarum: quem Sponsa hisce affatur in Canticis: *Indica mihi quem diligit anima mea: Ubi pascas ubi cubes in meridie?* Nimirum non illum in ipso quasi nonnihil frigescente, hoc est nondum satis adulto ac æstuante amore, sed ipso ejus meridie ac intenso æstu dulciter quiescere, suaviter deliciari.

Cant. 1.

Id planè est quod Christus, à D. Petro requisiit, dum quæreret: *Simon Joannis diligis me plus his?* Hoc est plus Andreâ in Christi servitio veterano, plus Matthæo omnium fortunarum propter Christum contemptore, plus Jacobo fratre Domini, plus Thomâ mortis ipsius cum Christo oppetendæ cupidissimo heroe: *Eamus* (inquit) *& moriamur cum eo.* Plus dilectô Christi discipulô Joanne. Plus aliis omnibus quibuscunq; Christi discipulis. Ut vel inde pateat quonam Christus amore velit à nobis diligi? scilicet non eo qui quoscunq; etiam excellentes amores amatoresq; sui adæquet,

quet, sed etiam longius superet ac velut in statu perfectissimo consistat: cùm & hic Christus â Petro trinam amoris sui confessionem extorserit: Trinum autem perfectum. Præsertim cùm S. Bernardus Serm: 76. in Cantic: eidem trinæ interrogationi: *Simon Ioannis diligis me?* illud superaddat: *Hoc est* (inquiens) *plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm & te!*

Amor inter adversa invictus.

Quodsi amoris natura ignea est? Videte qualem hunc in se Sponsus exhibeat: *Lampades ejus* (inquiunt Cantica) *lampades ignis atq; flammarum.* Nempe nimis pusillus, nimisq; frigidus amor est, si non ignescat. Quanquam parum etiam ignescere eundem, si non in flammas assurgat. Et ita quidem ut nihil in toto orbe reperiri valeat, quod illum vel comprimat, vel extinguat: *Aquæ multæ* (inquit Salomon) *non poterant extinguere charitatem nec flumina obruent illam.* Nimirum debilis nimium illa charitas esset, quam vel quivis venti afflatus, vel modica aquarum eluvies, penitus consopiret. Ille planè insignis amor censendus est, qui non ventis tantùm, aut brevi decurrentibus rivis, sed magnis etiam fluminibus hoc est immensis adversitatibus sciat resistere.

Amor mortis imitator.

Nec mirum talem eundem amorem cum morte ibidem in comparationem venire: *Fortis ut mors dilectio*: Certè enim imbellis illa esset, quam quivis adversarius sterneret, vel quodvis terreret periculum: Imò & illa ipsa, quæ leviores nonnisi assultus vinceret, minores hostes triumpharet. Mortis igitur adinstar nostra sit dilectio, cui videlicet nihil supersit terrificum, nihil indomitum, nihil insuperabile: juxta illud: *Omnia vincit amor*. Et si alia mortis adjuncta excusserimus: uti mors totum sibi hominem ita vendicat, ut homini hominem non relinquat, imò nihil etiam hominis: pariter quoq; Amor DEI non alius esto, quàm qui amantem ita totum in DEUM rapiat: ut de illo verificetur illud Augustini: *Talis quisq; est qualis ejus dilectio. Terram diligis? terra es: DEUM diligis? quid dicam? DEUS es.* Non illa de morte memoro: quod hominem à carissimis quibusq; avellat, ad omnia reddat insensibilem, denudet omnibus: ac nihil etiam de carne tandem relinquat ac patiatur: cùm & hæc omnia veri atq; eximii amoris sint. Utiq; enim Jonatas quoq; ob amorem Davidis expoliaverat se cunctis usq; ad balteum.

Si verò

Si verò pari cum auro pretio Amor æſtimandus? advertite, qualem hunc DEUS à nobis Apoc: 3. requirat? *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Ubi juxta Richardum aliosq; charitatem intellige, & eam quidem non quamcunq; ſed ad auri ipſius pretium aſcendentem, illamq; ignitam probatam, hoc eſt (ut ait Cornelius) *puram, ab omni defæcatam Hypocriſi & ſcoriis cupiditatis; inſuperq; ardentem & ferventem.* Et talis omnino noſtra Charitas eſto, ſi volumus eſſe non vulgarem: ac etiam talis de quali Cant. 8. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Ita ſcilicet qui velit amare DEUM, neceſſe eſt vileſcant ei omnia. *Amor defæcatus.*

Tali, hoc eſt non vulgari charitate non dubium arſêre illi Seraphim, de quibus Iſaiæ 6. *Seraphim ſtabant, ſex alæ uni, duabus alis velabant faciem, duabus pedes & duabus volabant.* Quid eſt ſtare & volare ſimul? Quid incompoſſibilius quam ſtatio cum volatu? At verò ſunt, qui hoc loco non volatum, ſed potius quoddam pennarum quaſi flabelli remigium & motum, refrigerandi gratiâ concitatum, intelligunt. Tantum arſere videlicet grandi amoris *Amoris incendium.* *Sanchez apud Corn: à Lapid:*

 divini

divini incendio Seraphim: ut eodem alarum suarum remigio ab eo æstu refrigerari indigerent. Non aliter quàm Seraphico nostro Adolescenti B. Stanislao Kostka evenit, qui eo amoris DEI ardore corripiebatur, ut hic ardor lynteo aquis immerso pectoriq; appresso temperari deberet.

Amor in summo suam tenuitatem erubescens.

Claudius Aquaviva in Epist. Renov.

Quod autem ad velamen faciei inductum? *Duabus* (inquit) *alis velabant faciem?* Sunt quoq; qui affirmant dictos Seraphim suasmet proprias facies vultusq; velasse idq; ob ruborem, quod non eum quem par erat DEO Amorem impenderint. Hinc dicuntur non tantum stetisse, sed volasse etiam: Eo scilicet amoris impendio non contenti: nequaquam in eo subsistentes, altiùs in Amorem DEI evolare decreverunt. Et si Seraphicus ipse DEI amor rubori est, quod non ad eam quæ decet hosce spiritus excellentiam & intensionem in eis elevetur: Quanto nos suffundi rubore oporteret, quod hic idem DEI amor tam in nobis pusillus sit: ac proinde ut grandescat, eniti.

Amoris ampliatio.

Grandescat inquam ad eam mensuram, in quam apud Salomonem in Canticis assurrexit. Triplicis ibi Turris fit mentio. Primæ, cui assimila-

similatum Sponsæ collum: *Sicut turris David collum tuum*: Secundæ, cui assimilatus ejusdem Sponsæ Nasus. *Nasus tuus sicut Turris Libani.* Tertiæ, cui assimilata ubera: Uti de se Sponsa: *Vbera mea sicut turris.* Quid vero per hanc triplicem turrim congruentius intelliges? quàm per primam, Fidem: Solius utiq; colli & non capitis ibidem cum turri assimilatio: quid enim fidei ad intellectionem ad persuasibilia humanæ Sapientiæ ad caput? Per secundam, Spem; quæ scilicet odoratur futuram mercedem & præmium: *Curremus* inquiens *in odorem unguentorum.* Per tertiam tandem, Charitatem, utiq; enim inter ubera, inter pectus & cor, amoris sedes. Et hæc certè Charitas si DEO digna esse velit, non qualitercunq;, non adinstar cujuscunq; Domus seu Palatii, sed potius adinstar Turris celsissimæ ipsiq; cœlo conterminæ assurgat necesse est: ita, ut etiam sicut turres ordinariè omnia quæcunq; suâ altitudine superant ædificia, pariter quisquis DEI non vulgaris amator est, ultra alios quoscunq; amore DEI ejusdem ferri velit. Idq; exemplo S. Theressiæ, quæ dicere solita; se utcunq; passuram, si in aliis virtutibus superaretur à quocunq; : jam in

amore DEI; nequaquam ulli palmam se velle concedere. Aut certè adinstar duorum illorum Hispanorum Heroum (de quibus Hispana Historia) quorum cùm unus Fernandez Vasco, in bello contra Mauros in medios irruisset hostes, eoq; processisset, quo processurum sperabat neminem, atq; in tentorio hostili schedam appendisset cum ea inscriptione: *Huc pervenit Fernandez Vasco:* Alter per æmulationem facto validiori in hostem impetu, ultra adhuc processit, chartamq; cum eo scripto affixit: *Huc non pervenit Fernandez Vasco.* Et profectò eò nobis quoq; in DEI Charitate procedendum, eò perveniendum, aut eò saltem votis omnibus collimandum: quò nemo nos in eadem charitate præveniat, nemo nobis anteeat, ac præcurrat.

Apud Hyac. Liberium.

Quanquam parum est illam esse nescio quantum excellentem & sublimem; nisi sit simul magnarum ac insignium rerũ operativa: miniméq; otiosa. Hinc Sponsus se, suiq; amorem ac memoriam non cordi tantum Sponsæ, sed brachio etiã ad operandum valido & robusto imprimi voluit: *Pone me* (inquit) *ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum.* Sanctus

Amor magnarum rerum operativus.

autem

autem Gregorius convenientiſſimè ad noſtrum propoſitum ait: *Nunquam eſt amor DEI otioſus; operatur magna ſi eſt; ſi operari renuit, amor non eſt.*

Imò Heroicum quoq; eſſe non modicè neceſſe eſt. Quali ſcilicet arſit Abraham DEO immolaturus filium Iſaac. *Ipſe verò* (inquit Sacer textus) *portabat in manibus ignem & gladium.* Ignis quippe Charitatis parum proficit absq; gladio, quo omnia etiam chariſſima ac æſtimatiſſima DEO immolentur: ut audenter illud pronuntiari poſſit: *DEus meus & omnia, amo te ſuper omnia.* Tali quoq; charitate arsêre Martyres, qui vitam & ſangvinem divino conſecrârunt amori. Quo enim alio amore ſumma DEI Bonitas, niſi tali hoc eſt maximo, maximè operativo & heroico digna eſt? *Amor heroicus.*

Neq; verò nobis etiam diſſimili exæſtuandum incendio, ſi tot heroûm aſſeclæ eſſe contenderimus. Exæſtuandum inquam præter alia ſupra memorata uſq; ad omnium terrenorum cariſſimorum etiam ob DEI amorem contemptum uſq; ad omnium graviſſimorum tolerantiam, uſq; ad jacturam vitæ, uſq; ad mortem &

ſangvinem. Et ſi tanto taliq; amore arſerimus; certò illum Regem virtutum omnium, eoq; regno ac throno non indignum in nobismet ipſis comprobabimus: nosq; ipſi vel ſic in Olympum ſupremæ eluctabimur Sanctitatis.

FINIS.





MATERIÆ CONCIONUM PRO DIEBUS DOMINICIS & FESTIS

Ex

Singulis Adhortationibus desumptæ

Et iisdem Concionibus applicatæ additis nonnullis ultra positas supra, probationibus.

ADHORTATIO PRÆLIMINARIS. Pag: 12.

PRimo potest servire pro Concione Dominicæ 4tæ post Epiphaniam, prævio Themate: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Exordium ab eo duci posset. Nempè quod vita humana sit velut quoddam mare: venti sunt tentationes diaboli & quæcunq; adversa; motus, & fluctus, sunt passiones & habitus pravi, motusq; carnis inordinati, pusillanimitates innatæ &c. Et hi tales fluctus deterrent nos ab obsequio DEI. Quid igitur

 adver-

adverſus hæc remedii? certè hic non alio magis quàm magno animo opus eſt.

Secundo poteſt ſervire pro Concione Dominicæ ſeu 12. ſeù 17. poſt Pentecoſten, præmiſſo Themate: *Diliges Dominum DEUM Tuum ex toto Corde tuo.* Exordium ab eo duci poſſet; Quod ſcilicet non fruſtra Deus jubeatur ex corde diligi: Ex una enim parte cor ad dilectionem pertinet, eſtq; amoris ſedes; unde quisquis diligitur, non ore ſed corde diligendus eſt. Ex parte altera quisquis Deum intendit ſincerè diligere ad magna pro ejuſdem DEI amore agenda & toleranda paratus ſit neceſſe, & quia in his non pauci puſilli animi ſunt: hinc etiam hìc magno animo opus.

Tertio pro Concione Dominicæ primæ Adventus: ubi poſt prædictas à Chriſto graves admodum tribulationes totius mundi, illud ejusdem Chriſti: *His fieri incipientibus, reſpicite & levate Capita veſtra*, quod ipſum pro Themate aſſumendum, exordio ab eo ducto: Quis nam tanti in eo rerum ſtatu animi inveniri poſſet, qui auderet tunc ſive Caput, ſive oculum ſurſum attollere? niſi quod ad juſtos & electos ea Chriſti vox: ad quos certe pertinet, ut ad omnia quæcunq; terriculamenta magno animo ſint.

Quarto pro Feſto SS. Apoſtoli Petri & Pauli aſſumpto Themate: *Portæ inferi non prævalebunt*: Exordium:

En quanti insultus adversus SS. Apostolos insurrecturi erant? Cùm & ipsæ portæ inferi adversus eosdem armandæ suamq; potentiam exerturæ erant. Quo igitur hic animo opus erat? certè non parvo: uti omnibus quoq; viris apostolicis. Nec alio sed magno admodum hodierni etiam SS. Apostoli fuêre animo.

Hæc vero etiam eadem materia tractari potest in Festis aliorum quorumcunq; Apostolorum. Uti in Festo S. Matthæi Christum ad unam vocem: *Sequere me*, illico sequentis totq; & tanta relinquentis, nec extimescentis hæc & tanta, quæ illum in servitio Christi expectabant, seu sequebantur. Proinde facilis conjectura, quanto animo erat?

Pariter in Festo S. Andreæ non tantum retia, sed quæcunq; alia relinquentis ac similiter sequentis Christum magno quoq; animo ad omnia.

Item in Festo Sanctorum Simonis & Judæ, ex occasione Evangelii, in quo Christus prædixit discipulis persecutiones& odia mundi: ad quod certè magno etiam animo opus. Nec defacto defuit hic animus SS. Duobus his Apostolis.

Item in Festo S. Matthiæ ex occasione assumpti Thematis: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quæ vero hanc refectionem antecedunt? non alia scilicet, quàm labores, onera, eaq; omnis

generis gravissima. Unde & hæc magnum animum exigentia. Nec caruit illo sanctus Matthias.

Item in Festo SS. Philippi & Jacobi, ex occasione Thematis: *Non turbetur cor vestrum.* Sed quomodo non turbandum erat ad tot & tanta ingruentia quibus ipse Herculeus animus turbaretur. Verum non tale Sanctorum Apostolroū cor erat, quod quacunq; turbatione concuti & frangi posset; cum illi defacto magno admodum & invicto animo fuerint: ut mox patebit.

Item in Festo S. Bartholomæi ex occasione assumpti Thematis: *Elegit* 12 *ex ipsis quos & Apostolos nominavit.* Qui vero tituli, qui honores, quæ Privilegia, qui proventus, hos electos manebant? certè non alii, quàm proventus laborum, incommodorum, periculorum persecutionum &c. Quo igitur animo tales electi esse debebant? non dubium quia valdè grandi. Uti patuit in S. Bartholomæo.

Item pro Festo S. Francisci Xaverii ex occasione Thematis: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium*: Ubi ô quot itinera! proinde quot labores, fatigationes, incommoda, pericula in terra, pericula in mari, &c. Quali igitur hìc animo S. Franciscus Xaverius?

PARTIS

PARTIS Primæ.

ADHORTATIO I. Pag: 23.

PRimo poteſt ſervire pro Concione Dominicæ 5tæ poſt Pentecoſten Thema. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm ſcribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Exordium poteſt duci ab eo: quanta erat juſtitia & ſanctitas in veteri Teſtamento, Scribarum & Phariſæorum, qui ab omnibus pro ſanctis habebantur. Quod etiam patuit in illo Phariſæo Evangelico ſuas juſtitias enumerante (Lucæ 18.) *Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri raptores, &c. Jejuno bis in Sabbato, &c.* Ubi quàm laudabilia omnia, imò laudabiliſſima ſi ſola abfuiſſet jactantia. Quid igitur Chriſtus abundantiorem à nobis juſtitiam requirit? nempè ea eſt legis novæ obligatio, ea ratio vocationis ad Fidem Catholicam, ut nos non qualicunq; , ſed ſuperabundanti juſtitia & virtute contentos eſſe velit. Jam reliqua omnia, quæ de vocatione Religioſa tractantur, vocationi ad legem novam ſeu Fidem Chriſtianam præſertim Catholicam per Comparationem, cum lege veteri ac etiam cum quacunq; alia fide accommodanda. Sic per Diſcipulos cum Chriſto ad montem aſcendentes

intelligendo ad Fidem Catholicam vocatos; per turbam & multitudinem copiosam plebis, infideles quoscunq;. Item per sponsum cujus crura Columnis marmoreis, super bases aureas fundatis assimilata, pariter intelligendo fideles per Fidem veram Christo desponsatos. Item per Virgam Mosaicam intelligendo quoq; sive Judæos sivè quoscunq; à fide vera alienos. Tandemq; & alia similiter applicanda.

Secundo potest servire pro Concionibus aliquorum saltem Festorum præsertim SS. Confessorum ex assumpto convenienti Themate: hoc ipsum deducendo: quod hic vel hic sanctus, sit sanctus non vulgaris, v.g. assumpto hoc Themate - *Et vos similes hominibus.* Ac si scilicet hoc aliis quibuscunq; sanctis conveniret: huic autem in particulari v.g. S. Benedicto, Dominico, S. Casimiro, B. Stanislao, B. Aloysio Gonzaga, B. Joanni Francisco Regis &c. nequaquam.

Item assumpto Themate: *Nolite timere pusillus grex.* Ac si scilicet alii quicunq; ad gregem pusillorum pertinerent. Hic autem vel hic sanctus v. g. B. Joannes Cantius, aut alius quicunq; nullatenus.

Item *Revelasti ea parvulis.* Ex una parte hunc vel hunc sanctum v. g. S. Franciscum Seraphicum deducendo fuisse parvulum, parvulum scilicet in oculis mundi parvulum, id est humilem &c. Ex altera parte minimè parvulum ex quo eximiè non vulgariter sanctum.

Hæc eadem propoſitio totaq; hujus adhortationis materia, facile applicari poſſet ſancto Thomæ Aquinati Bonaventuræ, S. P. Ignatio, S. Franciſco Xaverio, & Borgiæ, ſancto Hyacintho & quibuscunq; ſanctis Confeſſoribus declarando illos ex vi aſſumpti cujuscunq, ad id proportionati thematis non vulgariter ſanctos.

Imò hæc ipſa materia quadraret etiam ſanctis Virginibus ſeu non Virginibus v. g. in laudem S. Thereſſiæ, S. Claræ, S. Magdalenæ de Pazzis, S. Hedvigis, S. Franciſcæ, idem ipſum argumentis ſimilibus comprobando: quòd hæc, vel hæc fuerit non vulgariter ſancta.

ADHORTATIO II. Pag: 34.

POſſet accommodari Feſto Circumciſionis Chriſti, illud deducendo: quod vel eo ipſo annos noſtros ex quo Chriſti nomine inſignitos decet eſſe admodum ſanctos. Atq, ita decet eſſe cum Davidico Lapide turris Carneæ (ſic illũ Goliath S. Chriſoſt: appellat) id eſt Carnalium appetituum imò ipſius mundi, carnis, diaboli, triũphatores. Decet cum manipulo Joſephi ex vitiis conſurgere, aſſurgere in ſtudium virtutum, ſtare conſtanter in eodem ſtudio: cum Michàéle Archangelo pro Deo ſe opponere: cum 1404. millibus immaculatè vivere: cum Abrahamo ambulare coram DEO, & perfectum eſſe.

esse. Huc potest accommodari ille apud Zachariam Prophetam cap. 3. *JESVS Sacerdos indutus sordidis vestibus.* De quo illud Angeli : *Auferte vestimenta sordida ab eo* : Nec enim decebat sub tanto nomine talibus eum vestiri : proindeq; novum annum, non aliud decet, quam exuere omnia vetera eaq; sordida, & induere nova.

ADHORTATIO III. Pag: 45.

ACcommodabitur imprimis aliquibus Dominicis. Uti Dominicæ 3tiæ post Epiphaniam: ubi in Evangelio de Centurione tam excellentis, quam ipse etiam Christus dilaudat, virtutis : assumpto v.g. Themate : *Non inveni tantam fidem in Isràël.* Nec vero solâ fidem (quod ipsum in exordio tractari potest) sed etiam tot alias virtutes : interq; alia humilitatem & quas apud alium Evangelistam scilicet S. Lucam enumerant Seniores Isràëlitici, pro eo instantes ad Christum : *Diligit* inquiunt *gentem nostram & Synagogam ipse ædificavit nobis.* Unde verò tantæ virtutes? audiamus quid de se idem Centurio dicat? *Habens sub me milites* : ac si diceret : se habuisse tot animas suæ curæ demandatas : Hinc erui potest ea propositio: quantæ Virtutis esse debeant, qui sub sua habent potestate & jurisdictione tot animas, quarum

salutis

ſalutis cura illis incumbit: nempe cura ſalutis domeſticorum ac ſubditorum. Ubi pro argumento illud quoq; ex Amos Propheta cap. 7. afferri poterit: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum litum & in manu ejus trulla cæmentarii.* Certè enim uti cuicunq; eo altiori loco ſtandum eſt, quò ſublimiorem alieno commodo educit fabricam, ita pariter illi qui ſpirituale in aliis conſtruit ædificium non in humili ſanctimonia conſiſtendum; uti & illis qui in aliorũ animabus & conſcientiis rimas & fiſſuras obliniunt, ruinas reparant. Eo ſpectat illud Iſaiæ cap. 2. *Et erit præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Verum quis audiit, quodcunq; ſurſum & non deorſum ad montis faſtigium, & non ad declive fluxiſſe. Niſi quod hic eximiæ ſupra alios longè elevatæ ſanctitatis montem intelligimus, qui quò aſſurgit altiùs, eò plures quaſi vi magnetica ſurſum attrahit.

Idem ipſum non minus facili negotio applicari poteſt Dominicæ vigeſimæ poſt Pentecoſten in cujus Evangelio legitur de Regulo: *Cujus filius infirmabatur Capharnaum*: de quo ipſo dicitur, quod *credidit ipſe & Domus ejus tota.* Nec fides tantum, ſed etiam aliæ virtutes in eodem Evangelio referuntur præſertim humiliatio ſui coram Chriſto: unde hoc deduci poteſt: quantæ virtutis quisq; eſſe debeat, qui domeſticis aliisq; ſive ad

 fidem

fidem sive ad alias virtutes doctrinâ & exemplo prælуceat & quidem efficaciter.

Idem vero etiam accommodari potest Festis saltem aliquibus, sivè Apostolorum, sivè Pontificum ac Episcoporum v.g. Festo S. Martini assumpto Themate: *Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, &c.* intelligendo in exordio per Lucernam positam super candelabrum, Episcopos & quoscunq; alios, qui uti dignitate, ita & virtute aliis prælucere debent. Taliumq; virtus debet esse præ illis aliis insignior & excellentior: hocq; ipsum in prima parte Concionis tractandum; in secunda autem facienda apodosis ad S. Martinum per enumerationem ejus virtutum.

Nec dissimiliter in Festo S. Nicolai procedendum assumpto pariter apto ex Evangelio Themate: v. g. *Homo peregrè proficiscens, vocavit servos & tradidit illis bona sua.* Quis verò iste homo? si non quisq; Episcopus, aut quicunq; alius, qui bona non temporalia sed spiritualia tenetur suppeditare sibi subjectis. Proinde ut ea suppeditet aliis, ipse debet iisdem abundare, abundare inquàm excellentibus præ aliis virtutibus, meritis, donis. Hocq; ipsum uti prius elucidandum positis in exhortatione præfata, argumentis: & tandem ad virtutes & merita S. Nicolai descendendum.

Ita pariter in Festo S. Adalberti vel Stanislai, assumpto Themate: *Ego sum Pastor bonus.* An verò quomodocunq; bonus? minime! sed certè suis ovibus melior. Pastorum utiq; animarum longè insignior esse debet virtus quàm quorumcunq; aliorum. Et hoc ipsum in Concione tractandum, cum apodosi ad sanctos Pastores, sivè Adalbertum sivè Stanislaum.

ADHORTATIO IV. Pag. 57.

POterit servire pro Dominica 16. post Pentecosten assumpto hoc Themate: *Observabant eum.* Tractando in Exordio: quantos quisq; sui habeat observatores. Contra quos nullum efficacius remedium quàm virtus excellens & exactissima rerum omnium ad virtutem spectantium, observatio. Ad cujus elucidationem præter posita in ea adhortatione posset addi ex adhortatione sequenti illud, quod ibidem de quodam qui adversus hostem cum Clypeo Crystallino processit.

Pariter eadem materia accommodari potest Dominicæ Passionis, posito hoc Themate: *Quis ex vobis arguet me de peccato:* An non vero, fuêre tot, qui poterant arguere? & arguissent defacto si habuissent, quod argueretur. Adversùs utiq; tales, scilicet quoscunq; Zoilos nihil efficacius, quàm excellentia in nullo culpabilis, in omnibus laudabilis sanctimoniæ.

Quanquam in Festis aliquibus hæc eadem materia usui esse potest, v. g. in Festo S. Stanislai ex occasione hujus Thematis : *Ego sum Pastor bonus :* Cur tamen ea bonitas tot invenit persecutores, uti etiam Boleslaum Regem ? Nisi quod nihil potuerit intaminatæ & excellenti bonitati obiicere. Hæc utiq; talis bonitas nullos osores & adversarios timet. Hinc facienda apodosis ad tot & tanta adversa : quæ S. Stanislaus pertulit , absq; ullo in sanctitate sua & fama nocumento , imò cum augmento utriusq; insigni.

ADHORTATIO V. Pag. 70.

ACcommodari potest Concioni pro Dominica sexagesimæ ex occasione hujus Thematis : *Aliud cecidit inter spinas.* In exordio tractando mundum esse plenum spinis. Præter verò aliàs tot spinas , sunt tot occasiones peccandi , tot diaboli suggestiones, à quibus non raro etiam optimum semen rationale miserè suffocatur. Quid igitur adversus has tales spinas, scilicet peccandi occasiones remedii & præsidii ? certè non aliud quàm excellens virtus. Hocq; ipsum argumentis , in ea exhortatione positis comprobandum. Assumpto etiam illo textu Psalmi : *Si dormiatis inter medios cleros : pennæ columbæ deargentatæ, posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Aliqui

Aliqui apud Lorinum legunt: *si versemini inter medios cacabos & ollas fuliginosas &c.* Ubi defacto nè turpis veniat coinquinatio, columbam sublimis & excellentis volatûs, nec vilioris pretii, ab auro scilicet & argento mutuati esse oportet.

Non minus commoda hujus ipsius foret applicatio Concioni pro Dominica 3tia post Pentecosten, ex occasione Thematis: *Erant appropinquantes ad JESUM publicani & peccatores.* An verò cum talibus conversatio vel minimo Christi sanctitatem infecit nævo? Minimè! nam non ea sanctitas fuit, quæ infici posset. Proinde in hominibus etiam vitam similem Christo, nempè vitam activam colentibus, similis quantum fieri potest pro ratione conditionis humanæ, requiritur.

Hæc quoq; ipsa materia assumi potest pro Festo S. Casimiri, ex occasione v. g. hujus Thematis: *Et vos similes hominibus.* Quid vero simile hominibus in S. Casimiro? an similis puritas conscientiæ, devotio, & alia, præsertim verò amor Castitatis virgineæ: Et hic inter tot occasiones, & illicia peccandi, in quibus sanctus Casimirus versabatur. Quanquam in hoc ipso certè S. Casimiri excellens admodum comprobatur sanctitas, in hoc ejus eximia laus, quod inter tot, & tanta non corruerit, sed intaminatus perseveraverit. Quod ipsum declarandum locis scripturæ, aliaq; eruditione,

in ea Exhortatione posita. Potest quoq; addi illud Canticorum de sponsa : *Sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias Adæ.* Pariter quoq; de Sponso, *sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.*

Item illud Moysis: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Hæc autem visio non alia erat: quàm quod rubus arderet nec combureretur: de quo Philo: *è medio rubi promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis.* Ubi en inter spinas & tribulos quibus rubus abundat talis pulchritudo! Item illud de Messeniis apud Pausaniam: *Messenii trecentos fermè annos à Spartanis ejecti, Peloponeso errantes, patrios tamen ritus constantissimè retinuerunt & Doricam lingvam nil prorsus immutarunt.* Nec alius Casimirus inter tot occasiones peccandi.

ADHORTATIO VI. Pag. 81.

PRimo potest assumi pro materia Concionis pro Dominica 5ta post Pentecosten. Ubi illud Christi in Evangelio *Dictum est antiquis* ex una parte discurrendo in Exordio ad quam multa præ antiquis nos posteri obligati sumus, & quidem non paucis titulis; interim tamen non minus etiam multa sunt, quæ iisdem antiquis

quis debemus: idq; illud inter cætera non modicum, quòd illorum exempla ad omnia nobis eximia ac potissimum ad insignem sanctitatem pro motivo sint.

Secundo serviet pro Festo Omnium Sanctorum: assumpto Themate: *Merces vestra copiosa est in Cælis.* Verum quibus viis ad eam deveniendum? nempe non aliis quàm viis eorum Sanctorum, quorum festum hodie celebramus. Certe enim Ecclesia inter alios fines hoc festum instituit, etiam propter hunc finem, ut habentes in conspectu gloriam Sanctorum, simul quoq; habeamus in oculis vias, vestigia, & exempla eorundem quibus & nos insistamus strenuè. Ad hæc igitur in præsens exempla ac vestigia, ut pote ad efficacissimum motivum oculos convertamus. Ubi præter posita in ea adhortatione, addi posset illud quod de Labeone Antistrio Gellius lib. 13. cap. 12. Ita scilicet illum legum atq; morum populi Romani tenacem fuisse: *ut ratum pensumq; nihil haberet, nisi quod justum sanctumq; esse in Romanis antiquitatibus legisset.*

ADHORTATIO VII. Pag. 96.

SErviet pro Dominica 8va post Pentecosten. Prævio Themate: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis:* Qui verò *hi filii lucis*? certè non alii quàm

vera

vera in primis fide tum etiam specialibus DEI Gratiis & donis sive naturalibus sive supernaturalibus illuminati. Jam *filii Sæculi*, iidemq; filii tenebrarum; sunt Ethnici, Judæi, Hæretici, in tenebris suæ infidelitatis existentes; tum etiam quicunq; de plebe rudes carentes eâ luce quâ alii gaudent, in tenebris suæ ruditatis ac ignorantiæ, quasi sepulti. Ex his ergo omnibus uti justus nobis ita illuminatis pudor, & confusio, ita efficax stimulus qui nos ad meliora permoveat. Ad hanc vero tractandam materiam assumendi loci scripturæ sacræ, & quæcunq; alia in adhortatione posita, exaggerando peculiariter quidnam ex parte una præstiterint ac præstent gentiles, Turcæ, Judæi, Hæretici, sive in suorum idolorum, sive in Dei gratiam? in gratiam suæ legis, fidei, seu potius infidelitatis: quid præstent rudes in DEI obsequio: ex altera nos, eâ tantâ luce pollentes ac proinde *Filii lucis*.

Potest quoq; hujus ipsius adhortationis materia usui esse pro Festo SS. Trium Martyrum Japonensium nostræ Societatis. Ut facile consideranti patebit.

ADHORTATIO VIII. Pag. 108.

FAcile accommodabitur Dominicæ septuagesimæ tum & huic Themati: *Portavimus pondus diei & æstus*: Propter verò quid? propter unum denarium.

Et

Et inde quoq; rubor noster est, quod tot & tanta laborent & patiantur homines modico lucro: neq; nos similia propter DEUM lucraq; æterna. Hocq; ipsum est; quod nos ad eximia quæq; in virtute & sanctitate præstanda & sufferenda stimulare deberet: Hujus vero ipsius argumenta à prædicta adhortatione petenda. Quibus illud Hortulani addi posset ex Evangelio Lucæ 13. de arbore infructuosa in ordine ad hoc, ut fructus pareret: *Fodiam* inquit *circa illam & mittam stercora.* Quo enim arbores etiam rationales efficacius adjuvantur ad proferendos insigniorum virtutum & operum fructus, quàm admotione stercorum, id est statuitione nobis præ oculis profanorum quorumcunq; exemplorum ac ipsorum sæcularium mundo & vanitati militantium hominum. Quid namq; illi omniaq; illorum opera ac labores, imò mundana quæcunq;, circa quæ versantur quàm stercori simillima, imò stercus ipsum. Uti in Psalmo: *Facti sunt ut stercus terræ.* Threnorum autem 4to: *amplexati sunt stercora.* Hinc Apostolus gentium: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Ecce tamen hoc etiam stercore excellens fovetur sanctimonia, & ad insignia merita promovetur: de hoc *stercore* DEUS *erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.* Pauperem utiq; virtute.

Potest quoq; eadem materia applicari Dominicæ 12.

 post

post Pentecosten ex occasione hominis ascendentis de Jerusalem in Jericho, & incidentis in latrones, expoliati vulnerati &c. En quid hic pertulit passusq; est, non propter Jerusalem, sed ptopter Jericho quæ juxtà Isidorum *Lunam*, *Luna vero Mundum significat.* Et hoc ipsum est, quod nos ad magna pro DEO & virtute agenda & toleranda stimulare deberet; scilicet quod homines tot & tanta pro mundo & mundanis agant & tolerent.

Par discursus pro Dominica 4ta post Pentecosten institui potest, ex occasione responsi S. Petri in Evangelio: *Tota nocte laborantes nihil cœpimus.* En quantum hi & propter quid laborarunt? hinc vero nobis & pudor & stimulus ad agendum laborandum patiendumq; propter DEUM.

ADHORTATIO IX. Pag: 118.

POtest adhiberi ad usum Dominicæ 2dæ Quadragesimæ ex occasione ascensus Christi in montem Thabor resplendentisq; ejus faciei ad instar solis, vestimentorum alborum per modum nivis: tandemq; vocis Paternæ: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Et si hic ascensus talisq; transfiguratio ac splendor Christi eam vocem Patris Æterni provocavit: Certe similis

ſimilis quoq; DEI in iis complacentia; qui per imitationem ejuſdem Chriſti culmen ſanctimoniæ prenſantes, ſimiles ſplendores ſpirituales, ſcilicet excellentes virtutes induunt. Hocq; ipſum locis in exhortatione eadem exhibitis dilucidandum; eoq; ipſo ſvadendum virtutis ejusmodi ſtudium, quòd ſibi DEUS in eo complaceat.

Eadem quoq; materia in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis aſſumi poteſt, idq; ex occaſione textûs Evangelici: *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Ubi en quantam nobis Chriſtus imperat ſublimitatem virtutis. Præſertim cùm alibi idem Chriſtus: *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus.* Nec vero talis quodammodo æmulatio DEO Patri ac toti Sanctiſſimæ Triadi ingrata: ſed imò (uti patebit) gratiſſima.

Idem vero etiam ipſum non difficulter transformari poteſt pro Feſtis quorumcunq; ſanctorum, vel ſanctarum, aſſerendo in propoſitione, illos, vel illas eximium Divini aſpectûs & complacentiæ delectamentum: idq; deducendo ex ſtudio excellentiorum virtutum, quod in illis elucebat. Talis v. g. S. Antonius, S. Tereſia aut S. Stephanus, ex occaſione ipſiusmet de ſe annuntiantis: *Ecce video Cœlos apertos, & JESVM ſtantem:* ut ſcilicet idem Chriſtus tam grato in eodem S. Stephano frueretur ſpectaculo.

ADHORTATIO X. Pag: 128.

VAlebit pro Dominica 8va post Pentecosten: ex occasione fletus Christi super Civitatem Jerusalem, simulq; indignationis super eandem: ex quo cùm tot experta fuisset DEI beneficia, tot habuisset opportuna auxilia ad serviendum DEO eumq; amandum, ita ut præ aliis omnibus DEUM colere eumq; omni obsequio & amore prosequi debuisset; hoc tamen neglexit. Nec minor eos indignatio & pæna manet, qui simili neglectu inter paria aut majora Divina auxilia laborant.

Similiter ejus adhortationis materia applicari congruè potest Concioni Dominicæ 19. post Pentecosten: ejusq; Themati: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, ligatis manibus & pedibus proiicite eum &c.* Per hominem Evangelicum intelligendo Dei dignationibus & beneficiis cumulatum, ac velut inter amicos intimæ admissionis connumeratum, eumq; ordinariâ nonnisi plebeiâq; virtute contentum: cùm DEUS in talibus multum sibi displiceat: per vestem nuptialem accipiendo non virtutem quamcunq; ordinariam, & ut aiunt de feria, sed magis singularem solenniorem excellentioremq; præ aliis, cujus neglectus bilem quodammodo in DEO movet.

ADHOR-

ADHORTATIO XI. Pag: 139.

POtest valere pro Dominica 5ta post Pentecosten adductis pro Themate Christi verbis: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarũ & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Nec mirum utiq;. Quis enim non advertat, quam tantum prœmium justitiam & Sanctimoniam requirit? hæcq; ipsa ejusdem tanti præmii excellentia deberet esse nobis illicium ad excellentissimam virtutem & sanctimoniam.

Similis quoq; fieri posset ejus adhortationis applicatio pro Concione Dominicæ 19. in supra positum Thema: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem:* Per nuptias ac nuptiale triclinium intelligendo Cœlum; quod non cuivis virtuti patet, sed excellentem omnino requirit.

Potest insuper eadem ejusdem adhortationis Materia assumi pro Concione in Festo SS. Omnium ex occasione sumpti Thematis: *Merces vestra copiosa est in Cœlis.* Et quia copiosa? certe non modicam virtutem requirens. Et hæc ipsa talis merces cælestis, deberet esse nobis pro motivo ad copiosam virtutem & merita.





PARS SECUNDA

Hujusq; Partis secundæ

ADHORTATIO I. Pag. 152.

LOcum habere potest Feria 3tia Paschatis: assumpto pro Concione Themate ex Evangelio ejus Diei: *Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in Corda vestra?* Hoc ipsum tractando in Exordio; quod scilicet duo notanda sint, in prædicto Themate: primum turbatio Discipulorum, ex Adventu insperato Resurgentis Christi; & hæc minimè laudabilis; cùm potius lætari, exultare, non turbari eos, pro tunc decuisset. Secundum ascensus cogitationum in Corda illorum: & hic licet eo loco non in partem quoq; laudabilem accipiendus esset; mihi tamen inpræsens illud in partem meliorem occurrit; quod scilicet Resurgente à mortuis Christo, nihil humile nobis cogitandum: non cogitationes tantùm, sed affectus etiam omnes sursum ascendant, sursum eleventur oportet. Hic igitur ascensus & elevatio cogitationum, & affectuum nostrorum præsentis nostræ dictionis materia esto. Idq; ipsum argu-

argumentis in ea exhortatione positis dilucidandum, ac persvadendum; applicationibus ad Christum Resurgentem identidem factis, assumpto etiam loco illo Deuter: 32. Ubi Moyses DEUM assimilat Aquilæ pullos suos provocanti ad volandum: *Sicut* inquit, *aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Quòd etiam ipsum Christo Resurgenti à mortuis accommodandum, Uti quoq; à sole ducenda similitudo, quo oriente, volatilia ex nidis suis evolant in sublime. Cùm idem quoq; Sol oriens humores à terra sursum trahat. Huc illud Apostoli: *Si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

In Festo quoq; Ascensionis Christi ejusdem adhortationis usus esse poterit.

Pariter Dominica 18. post Pentecosten, ubi illud Christi in Evangelio: *Vt quid cogitatis mala in Cordibus vestris?* Prævio namq; eo discursu: Quod scilicet variæ sint in Capitibus & Cordibus hominum, cogitationes & affectus etiam: nempè alii boni, alii mali, alii indifferentes; alii circa terrena & temporalia, alii circa spiritualia & æterna, alii humiles & abjecti, id est circa humilia & abjecta occupati: sic præfatus pro Themate assumptus Evangelii Textus transformari posset: Ut quid non dico mala, non dico indifferentia, &c. humilia

milia, abjecta, imò mediocria etiam, cogitatis? cùm defacto ejus quisq; Generosus Christianus deberet esse animi; ut quæq; sublimia, & excellentia cogitet & velit. Quod ipsum positis in ea exhortatione argumentis comprobandum.

Nec inconvenienter ea ipsa exhortatio in laudem aliquorum saltem Sanctorum transformaretur v. g. in Laudem S. Patris Ignatii, S. Francisci Xaverii, &c. Quasi illi semper sublimium, & excellentium Cogitationum & affectuum fuissent. Hinc illud etiam, S. Ignatii: *Ad M.D.G.* Item S. Francisci Xaverii: *Amplius.* Quanquam & in Laudem S. Augustini Cor flammis sursum ascendentibus ardens in manu gerentis derivari posset; illud de illo enuntiando: quod nihil humile cogitaverit, nihil humile voluerit, &c. Simile quid de Sancta Teresia, &c.

ADHORTATIO II. Pag. 161.

ACcommodanda primo Concioni, pro Dominica 3. post Epiphaniam, ex occasione Thematis: *Volo, mundare:* & *Confestim mundata est lepra.* Ubi certè parum erat velle Christum, si non successisset, opus mundationis. Atq; ita vana sunt omnia etiam Sanctissima desideria & Cogitationes sine successione vel conjunctione operis.

Ita pariter Dominicæ Quinquagesimæ ; ex occasione Thematis assumpti ex Evangelio ejusdem Dominicæ: *Quid tibi vis faciam ?* Ubi quoq; cùm velle actio Christi conjungitur ; ut hinc discamus ; nihil quodcunq; velle prodesse, si non succedat operatio: proinde vana virtus in solis cogitationibus ac desideriis etiam, sterilibus.

In Festo quoq; SS. Doctorum hujus ipsius fieri potest commoda applicatio , assumptis pro Themate illis Evangelii verbis : *Qui fecerit & docuerit , hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum* : hoc ipsum quasi à contrario per positos in ea adhortatione scripturæ locos declarando, quod hic vel ille S. Doctor non fuerit contentus suæ doctrinæ speciminibus, sed simul ad eximia opera processerit : ad quod etiam confirmandum sumi possunt Sacri loci & textus ex adhortatione sequenti.

ADHORTATIO III. Pag. 170.

VSus illius potest esse imprimis pro Dominica prima post Pascha. Ubi illud Christi in Evangelio ad S. Thomam : *Affer manum tuam* ; Non satis utiq; erat , ad conversionem Sanctum Thomam utcunq; aspirare ; manus afferenda , & admovenda erat. Et sic certè ad virtutis studium manibus seu operibus opus est.

Idem Dominica 12. post Pentecosten, ubi illud imprimis Evangelii: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Nec frustra expressè ponit ly *faciendo*. Non dicit cogitando dicendo. Certe enim non his sed operibus ad consecutionem virtutis, ac etiam vitæ æternæ opus.

Idem eruendum ex hoc ejusdem Evangelii: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ubi cur non satis ex corde, ex anima ex mente & quidem totis diligere? ad quid vires omnes? nempe vires extenduntur ad operandum. Et in hoc, scilicet in operando non Amor DEI tantum, sed omnis etiam ratio virtutis consistit.

Inde in Festis quoq; quorumcunq; SS. Doctorum (uti supra innuimus) Panegyris eorundem erui & tractari posset; prævio eodem Concionis Themate: *Qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Proinde hujus etiam vel hujus S. Doctoris inde magnitudo pensanda; quod non magnis tantum doctrinis, sed magnis etiam inclaruerit operibus.

Pari ratione ad laudem cujuscunq; S. Confessoris, id ipsum detorqueretur non difficulter: si v. g. hoc Thema assumeretur: *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ad quod S. Gregorius Papa: *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera*

proxi-

proximis nostris lucis exempla monstramus. Nec aliunde hujus vel hujus sancti splendor quàm ex hisce & quidem non qualibuscunq; , sed eximiis operibus elucet.

ADHORTATIO IV. Pag. 181.

PRimo pro Dominica 2da post Epiphaniam potest suppeditare materiam ex occasione Christi Invitati ad nuptias cum Discipulis *Vocatus* (inquit Evangelium) *JESUS & Discipuli ejus ad nuptias* : Quid vero ibidem egit, & quomodo se gessit idem Christus pariterq; Discipuli ? certe nihil egêre extraordinarium , præter patratum à Christo miraculum in mutatione aquæ in vinum : assederunt mensis, sumentes cibum & potum , vacarunt mutuis colloquiis , ut alii convivæ. Et quid tamen in eo ipso præ aliis habuêre ? nempe non aliud, quàm excellentiorem præ his aliis agendi & se in omnibus gerendi modum ? certe enim in hoc ipso excellentia virtutis , ordinaria & aliis communia , non ordinariè nec communiter peragere.

Secundo suppeditabit materiam pro Concione Dominicæ Septuagesimæ , ex occasione Thematis , ex Evangelio desumpti : *Pares illos nobis fecisti.* Quid verò illos pares effecit? cum idem quidem egerint , sed minori temporis spatio. Non aliud quàm modus ope-

randi laboriosior, accuratior intensior &c. Et hoc certè coram DEO nostras actiones, licet cum aliis communes facit extraordinarias & digniores, amplioris apud eundem DEUM pretii & mercedis.

Hæc eadem materia assumi potest pro Festo B. Aloysii Gonzaga, B. Stanislai Kostka ex occasione Thematis: *Sint lucernæ ardentes.* Unde vero tantopere illuxêre? unde has accendêre lucernas? num à splendidis ab eximiis, raris admodum extraordinariis, quibusq; actionibus? minime? ordinariæ utiq; & communes non ordinariè tamen nec communiter obitæ id effecêre actiones. Et inde eorum laus & splendor Panegyricus.

ADHORTATIO V. Pag. 198.

HAnc sibi vendicat Dominica 6ta post Epiphaniam: cujus Evangelium: *De Regno Cœlorum. Grano Synapis,* assimilato: de hoc grano Christus in eodem Evangelio: *Minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, &c.* Hocq; ipsum assume pro Themate: In Exordio autem breviter circa hoc discurre: quod Christus adeo magnam rem imò maximam, quia ipsum Regnum Cœlorum assimilavit eidem Grano. Si enim per idem Regnum intelligitur Cœlum Empyreum: quantæ id oro

magni-

magnitudinis? ex quo DEI ipsius ac tot Angelorum totq; sanctorum possessio & locus? Quodsi Ecclesia militans juxta sanctum Gregorium Papam? quanta ejus quoq; amplitudo; ex quo hæc per totum orbem diffusa, & ex tot statibus hominum composita. Jam tu quid eidem grano assimilare voles? certè non aliud, quàm, ut pote minimo, minimum: declarando in quantam molem meriti & præmii, nostra minima ex parte virtutis sese tenentia excrescant. Præstoq; sunt hujus ipsius in ea exhortatione posita documenta.

Pari modo id ipsum Dominica 3tia post Pascha tractari potest: occasione sumpta ex illo Evangelii: *Modicum & videbitis me.* Quod enim modicum, usq; ad visionem ipsius Christi, in quem desiderant Angeli prospicere nos ducit? certe non aliud, quàm quod nos minimè æstimamus, imò contemnimus, pro vili pulvisculo, imò atomo reputamus; scilicet quævis minima ex parte virtutis sese tenentia, quæ nobis uti magnum meritorum aggregatum, ita eximium præmium comparant, & pariunt. Et hoc idem tractandum ampliùs argumentum, juxta ea quæ in hac exhortatione ponuntur.

ADHORTATIO VI. Pag. 210.

HÆc quoq; Adhortatio Concioni non unius Dominicæ aut Festi accommodari potest. Uti imprimis

mis Concioni Dominicæ imæ Adventus. Ubi illud Evangelii: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & Majeſtate.* Qualis verò adhunc ejus adventum præparatio. Certe non alia quàm per ſanctitatem ſine ullo defectu ac nævo. Hæc enim omnino excellens & digna DEI conſpectu ſanctitas.

Item Concioni Dominicæ Paſſionis, ubi Chriſtus in Evangelio ad turbas Judæorum: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Neq; hoc admiratione dignum, quod talia de ſe Chriſtus prolocutus, qui neq; minimo quidem delicto ſubiacere potuit, tam ſecundum Divinam quam humanam naturam. Hoc potius inſolitum, ſi quiſpiam hominum ita innocenter viveret: ut quid ſimile de ſe proloqui poſſet. Et certe tamen pro modulo noſtro, nobis etiam fragilibus hominibus, hoc quoq; ipſum curare incumberet, ut ſinè defectu nævoq; vivere poſſimus.

Eadem materia pro Concione Dominicæ 5tæ poſt Epiphaniam aſſumi poteſt, ubi Evangelium de ſuperſeminatis tritico Zizaniis: præmiſſo Themate: *Non ne bonum ſemen ſeminaſti? unde ergo habet zizania?* Et quia ſervi Evangelici de hoc cum quadam admiratione interrogârunt? certe illi ipſi admiratione digni: quod talia ſcilicet mirati, quæ ordinarie contingunt: dùm optimum ſemen in terram jacitur, interim tamen tot

vitio-

vitiosæ herbæ & gramina intra triticum aut quodcunq; aliud frumentum enascuntur. Hoc igitur potius admiratione digniùs foret, si triticum ita purum esset, ut omni penitus vel minima non tantum zizaniorum, sed etiam cujuscunq; herbæ & graminis admistione careret. Idem de rationali tritico de homine nimirum cogita: enuntiando eam planè raram esse & excellentem hominis virtutem, quæ ad hoc enititur; ut vivat sine nævo.

Par campus utendi eadem adhortatione Dominica 4ta post Pascha: ubi in Evangelio de spiritu sancto: *Arguet mundum de pecato & de justitia.* Ut ergo eam arguitionem nostra quoq; non mereatur justitia, procul sit ab omni nævo.

Nec vero dissonum esset, idem ipsum S. Joanni Baptistæ aut B. Aloysio Gonzaga in Laudem eorum applicare: in hoc ipso magnitudinem sanctimoniæ illorum, statuendo: præsertim in quadam impotentia peccandi: ubi illud ex Apostoli Petri Epistola adduci posset: *Charissimi deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & omnes detractiones: sicut modo geniti infantes.* Quæ autem potentia peccandi actualiter in modò genito infante? Ad talem impotentiam visus est aspirasse Apostolus & Doctor gentium, cùm exclamaret: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* De corpore inquam peccabili, obnoxio peccatis. Idq; ipsum

forsitan assecutus cùm diceret. *Vivo ego jam non ego: vivit verò in me Christus.* Ac si scilicet seipsum & naturam peccabilem exuisset. Uti alibi etiam aliis quibuscunq; svasit: *Exuentes* (inquiens) *veterem hominem.* Quid enim magis facit impeccabilem, quàm ipsum etiam exuendo hominem induendo autem aut Christum aut saltem Angelum. Uti idem Apostolus ad Corint: *Induimini Dominum JESVM Christum*, aut quod de S. Joanne Baptista: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Talisq; Aloysius, ita ut Angelici Adolescentis mereretur vocabulum.

Uti etiam in Laudem S. Martini Episcopi idem tractari posset, ex occasione Thematis: ex Evangelio assumpti: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum Corpus lucidum erit.* Et in hoc ipso Laus S. Martini, quod ita totus illuxerit; ut nihil umbræ, nihil noxæ ac nævi habuerit. Hinc adstantem Satanam moriturus allocutus est: *Quid adstas cruenta bestia, nihil in me funesti reperies.*

ADHORTATIO VII. Pag. 226.

POtest imprimis accommodari Dominicæ imæ Quadragesimæ sumpto Themate ex ejus Evangelio: *Ductus est JESVS à spiritu in desertum ut tentaretur à diabolo.*

diabolo. Unde in Exordio id tractandum: quod prædictum desertum non jejunii tantum locus fuit, sed simul etiam præliaris arena; ita ut hic se Christus planè Heròém exhibuerit. Quot enim hic actus heroicos exercuit, sive in relinquenda domo Nazareth, sive in adeunda præfata eremo, sive in jejunando tam rigidè aliisq; macerationibus sanctissimi Corporis sui, sive in depugnando cum Satana &c. Idq; ideo ut vel hoc ipso, suo nobis præluceret exemplo: ut ejus imitatione similes nos in vita Christiana per insignes mundi Carnis Diaboli ac nostri quoq; victorias exhibeamus heròés. Et hoc certe ipsum eximiæ virtutis est, nempe heroicis actibus inclarescere.

Potest idem ipsum non incongruè tractari Dominica 3tia Quadragesimæ ex vi sumpti Thematis. *Fortis armatus custodit atrium suum.* Per fortem armatum intelligendo quemcunq; virum heroicum, per atrium domumq; ejus propriam, sensus corporis ac potentias animæ, imò ipsum Corpus & animam. Unde vero hujus atrii, domusq; efficacior custodia, imò in omnem virtutem ac merita sui provectio? si non ab heroicis actibus.

Potest insuper eadem adhortatio in Laudem quoq; cujuscunq; sancti, qui per heroica opera ac virtutes inclaruit, detorqueri: v. g. in laudem sancti Francisci

Xaverii, applicatione facta argumentorum in ea adhortatione positorum, ad actiones in vita ipsius expressas: non quemcunq; illum ex vulgaribus sanctis esse, sed plane insignem heròém proclamando: prævio v. g. Themate: *Euntes in mundum universum.*

Idem quoq; in Festo S. Ignatii de Loiola post exactam mundanam militiam ad Diviniorem transeuntis, & plane se heròém exhibentis longè majorem.

ADHORTATIO VIII. Pag. 238.

PRimo prodesse potest pro Dominica Septuagesimæ. Ex occasione Thèmatis: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Per oculum intellige intentionem, quæ si non recta est; omnia etiam in se eximia depravat. Uti horum operariorum grandes admodum labores ac tolerantias diei & æstus pessumdedit: eo quod eosdem propter lucrum temporale, propter unum subière denarium. Si autem eadem intentio recta? hæc certè etsi in se viliora, insigniter nobilitat, & ad excellens pretium & prœmium elevat, cum non modico virtutis & sanctimoniæ accremento.

Inde quoq; pro Concione Dominicæ Quinquagesimæ sumi posset impetus, ex hoc Themate: *Domine ut videam.* Si enim per oculum intentio (ut diximus) deno-

denotatur: certe hoc noſtrum peculiare intentum eſſe deberet ut videamus, ad quem ſcopum hæc dirigenda eſſet? Inde utiq; omnium noſtrarum actionum, ac etiam præſentium Bacchi hilaritatum, recreationum, epularum, imò ipſius Chriſtianæ virtutis non leve condimentum.

Potiſſimum verò hujus ejuſdem adhortationis materia quadrat Concioni in Feſto S. Martini; ac etiam Themati ex Evangelio ſumpto: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum Corpus tuum lucidum erit.* In eo vim ponendo: quod idem ſanctus oculum ſuum, id eſt intentionem non ad terrena ac temporalia quæcunq;, ſed rectà ad ſupremum ſcopum ipſumq; præcipuè DEUM dirigebat. Inde virtutis ejus & ſanctimoniæ non modica ſublimitas & excellentia.

Simile quid de B. Aloyſio Gonzaga intus operante, aut de ſancto Ignatio Lojola *Ad M. D. G.* dirigente omnia.

ADHORTATIO IX. Pag: 248.

FAcili negotio applicabitur Dominicæ 19. poſt Pentecoſten: cujus Evangelium de Rege exhibente nuptias filio ſuo. Ex hoc Evangelio ſumi poteſt Thema Concionis: *Rex autem cum audiſſet iratus eſt.* Nec tamen per hoc Rex eſſe deſiit. Non enim eò illum paſ-

ſio iræ deduxit, ut ſerviliter ſe ab illa ſubjugari patere-tur. Cùm iraſcebatur, etiam tunc Rex fuit, ſub pote-ſtate ac Dominio ſuas paſſiones & motus quoscunq; con-tinens. Et certe id ipſum Regem illum, etſi aliunde Rex non fuiſſet, conſtituit, Regem inquam virtutis excellentiſſimæ. Hæc enim defacto, ſcilicet Princeps & plane Regia virtus in perfecto paſſionum Dominio conſiſtit.

Pari ratione hujus adhortationis fiet accommodatio Dominicæ 21. poſt Pentecoſten: cujus Evangelium de homine Rege ponente rationem cum ſervis ſuis. Ex quo Thema Concionis haberi poteſt: *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.* Et cum iratus; non amplius Rex nominatur. An non ideo quod paſſioni iræ ſuccumbens Regis titulum quodammodo amiſiſſe viſus? Profecto enim ſi Rex ab eximia penſandus virtute, illum ipſum ſupremum ac legitimum Regem, quia eximiæ poſſeſſorem virtutis, nuncupabimus: qui non tantum non novit paſſionibus ſuccumbere, ſed imò perfecto eorum gaudere Dominio.

Multò verò commodiùs materia ejus adhortationis Dominicæ 4tæ poſt Epiphaniam, ſervire poteſt: cujus Evangelium de Chriſto aſcendente cum Diſcipulis in naviculam & motu magno facto in mari, eoq; à Chriſto compoſito. *Porro homines mirati ſunt: qualis eſt*

hic,

hic, quia venti & mare obediunt ei. Et hoc ipſum haberi poteſt pro Themate: Quid enim per ventos, motus maris, fluctus & procellas intelligimus, quàm paſſiones indomitas, quæ naviculam mentis concutiunt & non raro ſubmergunt. Ille igitur non vulgaris animi ac virtutis cenſendus eſt, qui hoſce motus & fluctus paſſionum novit comprimere, ac ſub poteſtate & Dominio habere; ita ut illi etiam acclamari poſſit *qualis eſt hic?*

Forſitan autem quoq; non aliena foret hæc materia à Feſto S. Caſimiri, quem Dominium Paſſionum, ac præcipuè concupiſcentiæ plane Regem, quia eximiæ poſſeſſorem virtutis & ſanctimoniæ effecit.

ADHORTATIO X. Pag:260.

LOcus & uſus hujus adhortationis eſſe poteſt: Dominica 2da Quadrageſimæ. Ubi Evangelium de Chriſto in montem excelſum aſcendente ac transfigurato, de reſplendente ejus facie ad inſtar ſolis, veſtimentis factis ſicut nix &c. Non ſatis illi erat aſcendiſſe in montem, non ſatis quomodocunq; transfiguratum fuiſſe; tot ultra ſplendores & ornamenta quibus totus à facie ad pedes uſq; tegeretur, aſſumere debuit; ut eam de ſe Patris æterni vocem audiret. *Hic eſt Filius meus di-*

lectus: Inde vero patet, quantis & nobis virtutum inclarescendum ornamentis ac splendoribus; ut DEI dilectionem & complacentiam mereamur. Parum scilicet est unius & alterius virtutis veluti quandam assuere laciniam; omnigeno earundem virtutum ornatu velut ampliore toga contegendum corpus & anima. Et hoc ipsum argumentis in ea exhortatione positis enucleandũ.

Eandem materiam adhibe Dominica 5. post Pentecosten in illud Thematis: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum &c.* In quo autem debet abundare hæc justitia? certe non est hæc abundantia: unâ scilicet & alterâ gaudere virtute; pluribus imò omnibus opus est; ut plenè abundes. Et in hoc excellentia virtutis.

Poteris quoq; eam ipsam adhortationem adhibere pro Dominica 4. Adventus præfixo Concioni Themate: *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus.* Ergo ne ad Adventum Christi solæ viæ ac semitæ parandæ? minime! imò si viæ tantâ parandæ diligentiâ, quantus nobis ipsis apparatus, apparatus inquam virtutum providendus? Hic verò non alius, quàm omnium virtutum. Ea namq; excellens dignaq; DEO sanctitas, quæ omni virtutum genere resplendet.

Sicubi verò, certe in Festis Sanctarum Virginum & non Virginum materia hujus adhortationis tractari potest, in laudem earundem v. g. sumpto Themate:

Orna-

Ornaverunt lampades suas. Ad quid verò ornatus hic lampadum? cur non potius de ornatu ipsarum Virginum agitur? Quanquam de hoc etiam minor difficultas; si ornatus interior, ornatus spiritualis, ornatus virtutum adfuerit. Et hoc ipso si quispiam, vel quæpiam, certe S. Catharina, vel S. Agnes, Agatha &c. eoq; omnigeno splendebat eximiè.

Non difficilis quoq; hujus ipsius accommodatio S. Annæ, S. Magdalenæ, S. Hedvigi sumptis convenientibus sivè ex Evangelio, sivè aliunde Thematibus.

Imò ex hac eadem ipsa materia laus plurium Sanctorum Confessorum sumi posset v. g. posito hoc Themate: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus.* Verùm totus ne hic legitimorum Christi servorum ornatus? minime! nempe si quos certe illos ornatu omnigeno, ornatu inquam virtutum decet conspicuos. Talisq; de facto hic vel hic sanctus Confessor.

Idem erui posset, ex illo Evangelii: *Ecce nos reliquimus omnia.* Omnia inquam terrena ac temporalia. Quantis verò in loco eorum servi DEI spiritualibus abundant divitiis. Profectò sicut omnia illa propter DEUM relinquunt atq; contemnunt; ita pariter satagunt; ut omnium spiritualium divitiarum, virtutum scilicet & donorum DEI possessionem capiant. Hæc enim nobilissima ac ditissima sanctitas; quæ talibus

divitiis

divitiis iisq; quantum fieri potest omnibus abundat. Sic dives ac opulentus post relicta omnia S. Benedictus Bernardus Franciscus Borgias &c.

ADHORTATIO XI. Pag: 268.

VTi plures aliæ, ita & hæc adhortatio correspondet Dominicæ 5tæ post Pentecosten: præsertim sumpto ex Evangelio ipsius Themate: *Nisi abundaverit justitia vestra &c.* In quo verò hæc abundantia? certe 1mo in possessione non unius & alterius, sed plurium imò omnium virtutum. Et quia & hoc non satis; proinde adhuc in possessione etiam gradus supremi in omni virtute. Et ad hoc cuiq; Christiano, cui inest studium & amor virtutis in abundantia, connitendum. Idq; adinstar Magni Constantini (teste Nicephoro) qui dum dimensionem Constantinopolitanæ urbis quàm ædificaturus erat faceret, longiusq; quàm par videbatur procederet, monitus à quopiam è suis ut gradum sisteret: respondit: se eo usq; processurum donec staret ille, qui ante se iret. Nec enim aliter in via quoq; virtutis procedendum. Ad eum scilicet gradum & terminum, tendendum nobis, quem Christus nobismet præcurrens suo designavit vestigio ac exemplo.

Nec aliena esse poterit à materia Concionis Dominicæ 4tæ post Pascha: ubi illud de Spiritu Sancto ex Evange-

Evangelio: *Arguet mundum de peccato & de justitia.* Nec mirum arguendum ab ipso mundum de peccato: Quid verò arguere deberet in justitia? si justitia, si virtus est? imò si pro complexo virtutum sumitur? Laudem potiùs non arguitionem meretur. Nisi quod hoc ipsum complexum non raro soleat aliquo laborare defectu, defectu inquam saltem altioris v. g. præter admistionem aliorum defectuum quorumcunq; in hac vel illa virtute gradûs. Hæc autem sola excellens justitia, hæc sola virtus & sanctitas perfecta, nec arguitioni Sancti Spiritus ulla ratione subjacens; quæ absq; hoc etiam defectu, quæ non tantum omnis virtutis, sed etiam supremi in omni virtute gradûs possestrix.

Item à Dominica 11. post Pentecosten: ubi illud de Christo: *Bene omnia fecit:* Non contentus utiq; omnia fecisse, id etiam insuper præstitit; ut benè imò optimè in supremo gradu faceret: Et in hoc ipso studium servorum quoq; DEI elucere deberet: Nempe ut non tantum in possessionem omnium virtutum incumbant: sed ut etiam supremum earum gradum obtineant.

Nec id ipsum alienum à Dominica 16. post Pentecosten: sumpto ad id impetu ex illo Evangelii textu: *Amice ascende superius.* Persvadendo ut non simus contenti omnibus etiam virtutibus; sed ad supremos etiam illarum gradus contendamus.

In hoc pariter laus plerorumq; Sanctorum & Sanctarum statui posset; scilicet v.g. S. Benedicti S. Bernardi, S. Ignatii S. Teresiæ, S. Magdalenæ de Pazzis, B. Aloysii Gonzaga, S. Catharinæ Senensis, &c.

ADHORTATIO XII. Pag. 275.

SErviet pro Dominica prima post Epiphaniam. Ubi illud Evangelii: *JESUS proficiebat sapientiâ & ætate & gratia apud DEUM & homines.* Neq; hic satis fuit Christo, profecisse Sapientiâ; proficiebat insuper & sanctitate insigni, quâ gratiam apud DEUM merebatur: & hoc ipsum supremæ est laudis ac virtutis, eandem virtutem cum doctrina & Sapientia conjungere.

Inde laus quoq; sanctorum Doctorum quorumcunq; sumi potest: ex occasione Thematis: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Non minus quoq; laus S. Ignatii Lojola Literas cum virtute conjungentis. Item sancti Joannis Cantii, S. Catharinæ, &c.

ADHORTATIO XIII. Pag. 289.

ADhiberi potest pro Concione Dominicæ primæ post Epiphaniam. Ubi illud Evangelii de Christo: *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus*

tus illis. Adde verò quod ibidem usq; ad annos 30. latuerit & velut sub umbra manserit: hocq; ipsum eximiæ virtutis & laudis, suæ sanctitati & talentis umbram quærere, cum illis latere.

Item pro Concione Dominicæ primæ Quadragesimæ; Ubi *ductus est JESVS in desertum.* Ductus inquam non tantum ut ibi jejunaret, sed ut etiam lateret.

Item pro Concione Dominicæ secundæ Quadragesimæ. Ubi illud Evangelii: *Nubes lucida obumbravit eos.* Obumbravit inquam inprimis Christum splendentem facie adinstar solis, tum Apostolos Cœlesti luce circumfusos. Nec illis hæc umbra nocuit; cùm à nube lucida procederet. Ita scilicet maximis etiam splendoribus umbra vel maxima, non tantum non officit: sed imò luci lucem majorem addit. Ita ut hic quoq; locum habeat, quod apud Prophetam: *Et tenebræ tuæ erunt sicut meridies*: Uti pariter sub alia licet allegoria, de Sponsa in Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii*: Ubi in deserti umbra, quantos diffudit odores: dumq; latere voluit, in oculos & admirationem ipsorum Cœlitum incurrit.

Item pro Concione Dominicæ tertiæ post Pascha ex illo Evangelii: *Modicum & non videbitis me.* Hoc autem de se Christus dicit, quasi post cortinam aliquam

procederet, ac se subduceret vel se conderet intra umbram. Audiamus verò quid sequitur? *Et iterum modicum & videbitis me.* Videbitis inquam splendidum gloriosum &c. Qualis in Resurrectione apparuit. Sic enim est umbra, quæ non tam obscurat, quàm potiùs illustrat magis.

Item pro Concione Dominicæ 23 post Pentecosten: ubi Christus in Evangelio jussit ut turba aliiq; tunc præsentes recederent; idq; ut lateret eos suscitatio à mortuis puellæ; sicq; Salvator velut intra umbram suam virtutem reconderet. Idcirco quoq; ibidem ad adstantes dixit: *Non est mortua puella, sed dormit.* Verùm latuitne per hoc à Christo patratum miraculum? minimè: sed imò fama ejus per orbem & secula propagata. Hæc nempe est proprietas virtutis latere volentis, quærentisq; umbram; ut non tantum latere non possit, sed imò ex eadem umbra lucem & gloriam colligat.

Item pro Concione Dominicæ ultimæ, post Pentecosten. Ubi illud Evangelii: *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum.* Et licet ibi omnia jubente DEO & pereunte mundo. Interim tamen ab his discendum Principibus planetis, quomodo quisq; suarum virtutum splendoribus, umbram quærere debeat vel inde illustrior.

Item pro Concione in Festo B. Aloysii Gonzaga de quo illud S. Magdalenæ de Pazzis: *O quantam glo-*

riam habet Aloysius, quia intus operabatur. Sumpto ad id impetu, ex Evangelio: Ubi nocturna in secunda & tertia usq; vigilia servorum DEI beatificantur obsequia. Et dum illi ita se intra noctem condunt; eò illustriores evadunt, dùm supra cæteros Beati proclamantur, traditisq; in manus suas illustrantur lucernis. *Sint* (inquit Evangelium) *lucernæ ardentes in manibus*, *&c.* Nec aliunde Beati Aloysii Gonzaga splendor. Cui plane illud Esaiæ convenit: *Erumpet quasi mane lumen tuum.* Utiq; enim matutinum lumen cum nocturna umbra conjungitur, aut eandem consequitur. Præsertim cùm B. Aloysius nondum mane ætatis fuerit prætergressus.

Id quoq; in Festis S. Benedicti, S. Bernardi, S. Francisci Borgiæ aliorumq; non minus congruè in laudem ipsorum afferri posset, utpotè magnis suis virtutibus ac splendoribus umbram quærentium.

ADHORTATIO XIV. Pag. 299.

APplicanda imprimis Dominicæ Septuagesimæ & Sexagesimæ: Ubi in Evangelio: labores diurnos operariorum in vinea merces, excultam laboriosè terram, & injectam in illam sementem fructus centesimus consecutus.

Item Dominicæ quartæ post Pentecosten. Ubi illud in Evangelio S. Petrus ad Christum: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* Quam ad laborandum alacritatem post tot exactos nocturnos labores, quantâ illi piscium multitudine idem Christus rependit? & certe illa virtus DEO multum grata magnisq; gratiis & lucris rependitur, quæ laboriosa.

Pariter Dominicæ sextæ post Pentecosten. Ubi Christus: quatuor hominum millia septem panibus refecit. Ad quod S. Ambrosius Episcopus: *Sed quibus impertiatur, (id est alimentum) adverte: non otiosis &c.* Sed laboriosis utiq;: ac si parum fuisset cum Christo tot dies persistere, ejus sanctissimis alloquiis frui, dulces ejus sermones auribus excipere. Hæc namq; DEI donis ac beneficiis digna, hæc excellens sanctitas, quæ laboribus innutrita.

Non omittendum hic Festum S. Isidori: in cujus laudem hoc etiam ipsum assumi potest.

ADHORTATIO XV. Pag. 311.

Prima Pars hujus Adhortationis.

Usui esse poterit pro Dominica tertia Adventus, ubi in Evangelio de S. Joanne omnium Prærogativarum & plausuum ac sui ipsius contemptore.

Item pro Dominica prima Quadragesimæ. Ubi Satan Christo: *Ostendit omnia Regna, & gloriam eorum.* Et hoc totum idem Christus contempsit.

Item pro Dominica quarta Quadragesimæ. Ubi in Evangelio de Christo: *JEsus cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem solus.* En contemptus Mundi & Regni!

Item pro Dominica Palmarum. Ubi Christo in ingressu urbis Jerusalem tanquam egregio mundi contemptori tam cæsi de arboribus rami, quam vestimenta infra pedes sternebantur in via. Et hic ipse contemptus Regem illum exhibuit virtutis & gloriæ. Uti de illo ibidem in Evangelio ex Propheta: *Ecce Rex Tuus venit tibi mansvetus.*

Item pro Festo S. Francisci Assisinatis, ex occasione Thematis sumpti ex Evangelio: *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Quod dum Christus de se prolocutus, idem de semetipso S. Franciscus proloqui posset. Dum enim ille omnia mundana contemnit & proculcat, ecce quæ & quanta in locum eorum recipit! videamus verò hunc tam insignem omnium contemptorem, hujusq; contemptus lucra & præmia.

Item pro Festo S. Francisci Borgiæ sumpto Themate: *Ecce nos reliquimus omnia.* Pro Festo S. Benedicti, S. Bernardi, S. Rochi &c. Pro quorum Festis idem Evangelium

gelium legitur: de quibus illud consonè pronuntiari potest: Quod illos contemptus mundi ac terrenorum omnium ad insignem sanctimoniam & dona DEI eximia præmiumq; cæleste extulerit.


Secunda Pars.

Pro Dominica quarta post Epiphaniam, ubi JEsus in Evangelio, fluctuante Mari dormiebat, velut sonoros fluctus contemnens. Quod ipsum ad contemptum lingvarum applicandum.

Item pro Dominica tertia Quadragesimæ: pro Dominica Passionis: Pro Dominica tertia post Pentecosten: Dominica 22. Ubi in Evangelio lingvas suas exerebant Pharisæi, & alii adversùs Christum. Nec tamen ille his & tantis aut deterrebatur, aut vel minimum arcebatur à sanctissimis operibus contemnens omnia.

Quanquam horum etiam omnium ad S. Ignatium de Lojola insignem lingvarum contemptorem, in laudem ipsius facilis applicatio: præsertim ex occasione hujus Thematis: *Dignus est operarius mercede sua*: Quâ verò illa? An non de qua Ecclesi: 51. *Dedit mihi Dominus lingvam mercedem meam.* Lingvas utiq; persecutrices S. Ignatius non tantum non timuit, sed imò etiam ipsas pro insigni mercede eximiorum suorum operum reputavit. Et hinc ultra in laude S. Ignatii progrediendum, juxta posita in ea adhortatione.

PARS



PARS TERTIA
ADHORTATIO I. Pag. 324.

De Zelo Animarum.

PRimo potest valere pro Dominica quinta post Epiphaniam. Ubi in Evangelio de servis Patrisfamilias accingentibus se ad colligenda zizania: *vis imus & colligimus*, *&c.* Et quamvis interim non acceptaverit Paterfamilias, id obsequii: certe laudabilis hæc eorum alacritas. Utinam verò similis in nobis zelus esset, tum ad expurgandam sive vitiis, sive hæresibus Ecclesiam, Civitates, Regna, &c. Domosq; etiam privatas, tum ad propagandum ubiq; triticum: id est Fidem ac virtutem Christianam. Hunc igitur talem zelum & quidem numeris omnibus absolutum viris præsertim Ecclesiasticis ac etiam quibuscunq; zelosis Christianis conabor suadere in præsens.

Secundo pro Dominica Septuagesimæ. Ubi de Patrefamilias conducente operarios ad laborandum circa vineam. Et quoniam per hanc intelligimus Eccle-

ſiam: Ideo de hoc agendum: Qualesnam illa operarios requirat, cujus animi, zeli, & laboris?

Tertia pro Dominica Sexageſimæ. Ubi de ſeminante ſemen ſuum, alioq; cadente ſecus viam, alio ſuper petram, alio inter ſpinas, alio in terram bonam. Et quia ipſe Chriſtus hic intellexit varia hominũ genera, ad quos ſemen id eſt Verbum DEI dirigitur: ideo nobis agendum de zelo Chriſtiano, quibusnam ſe debeat impendere quove ſtudio conatu & charitate?

Quarto pro Dominica ſecunda poſt Paſcha. Ubi de Bono Paſtore præter alia de ſe dicente: *Et alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: Et illas oportet me adducere.* Quod autem hic in perſona Paſtoris de ſe Chriſtus: hoc idem quisq; zeloſus DEI ſervus de ſemetipſo deberet proloqui: *Oportet me adducere:* tot ſcilicet erraticas oves ſive hæ ſint domeſtici ſervi, ſubditi, ſive quicunq; fideles, deviantes tamen à via virtutis Chriſtianæ, ſive infideles, &c. Et tunc talem zelum, præſertim quibus cura animarum incumbit, conabor perſvadere.

Quinto pro Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis: Vbi illud Chriſti in Evangelio: *Euntes docete omnes gentes. &c.* Certe enim quisq;, ſi legitimus & genuinus eſt Sanctiſſimæ Trinitatis Vnius DEI & Trini cultor, ejus deberet eſſe zeli; ut omnes quoscunq; ad ejus agnitionem cultum & amorem ducat. De hoc itaq; zelo inpræſens.

Sexto,

Sexto pro Dominica 2da. post Pentecosten. Vbi in Evangelio de homine faciente cœnam magnam & servo misso ad invitatos: cui præterea dictum: *Exi cito in plateas & vicos civitatis: & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc.* Item: *exi in vias & sepes &c.* Et quia per servum hunc talibus instructum mandatis, intelliguntur illi præcipuè, quibus cura animarum demandata, ideo de obligatione eorum & zelo, quo esse erga quoscunq; debeant, tractandum.

Septimo Dominica 3. post Pentecosten. Ubi de appropinquantibus ad JEsum publicanis & peccatoribus, de Pastore quærente ovem perditam, de muliere quærente pariter amissam drachmam: & quidem ingenti studio & sollicitudine. Idq; nobis etiam quibuscunq; & circa quoscunq; maximè domesticos servos subditos præstandum.

Octavo pro Dominica quarta post Pentecosten: ubi de piscatoribus, & S. Petro tota nocte laborante concludenteq; piscium multitudinem copiosam &c. quorum omnium facilis applicatio ad zelum omnibus quidem zelosis Christianis, sed maxime curatoribus animarum circa easdem quascunq; animas exercendum.

Nono pro Dominica 19. post Pentecosten. Ubi de Rege faciente nuptias, Filio suo; & mittente servos ad invitatos, & his nolentibus venire, iterum mittente alios servos &c. Per quos quia facile intelligi possunt

zelatores quicunq; animarum: ideo illis eorumq; zelo ea quoq; adhortatio non difficulter accommodari poterit:

Tanto verò facilius Festis Sanctorum Apostolorum quorumcunq; ac etiam sancti Francisci Xaverii.

ADHORTATIO II. Pag. 336.

De Tribus Religiosis Votis

Punctum Primum

De PAUPERTATE.

PRimo suggeret materiam pro Concione Dominicæ octavæ post Pentecosten. Ubi villicus in Evangelio: *Mendicare erubesco.* An non verò potius erubescere debuit sua malefacta, quàm mendicitatem ac pauperiem eamq; honestam? Quæ si sit voluntaria ac propter DEum; eò nobilior pretiosior atq; locupletior est, quò major. Ita ut hic præter posita in adhortatione argumenta illud quoq; allegari posset; quod sponsa de sponso in Canticis: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Aliqui legunt: *plenæ paupertate*: Ubi pro eodem Paupertas & pretiosi lapides: ita ut hæc etiam manus cælestis sponsi exornet, ab illis gestari digna; cujus insuper cum Hyacintho ipsi *Cœlo affinis imago.*

Secundo pro Concione Dominicæ 14. post Pentecosten. Vbi Christus in Evangelio: *Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea.* Et quia hæc ipsa volatilia sunt Symbola pauperum Christi: hinc eo loco de paupertate deq; ejus lucris, pretio & præmio ad quod evolat, tractandum. Eadem quoq; assumi posset materia, ex occasione Verborum Christi in eodem Evangelio: *Considerate Lilia agri, &c.* quæ pariter non ex uno Capite sunt Symbola paupertatis.

Tertio Constituet Panegyrim S. Francisci Assisinatis, declarando & exaggerando ejus singularem paupertatem, quæ illum in oculis totius Cœli adeo fecit pretiosum & locupletem.

Pari ratione pro Panegyri aliorum Sanctorum, qui hac virtute excelluerunt, servire poterit. Præsertim in quorum Festis legitur illud Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia.* Vti in Festo v.g. S. Rochi, &c.

Punctum Secundum

De CASTITATE.

COnficiet Concionem pro Dominica secunda Adventus: ubi in Evangelio ex Propheta Christus de sancto Joanne: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem*

ciem. Exponendo excellentiam & privilegia Castitatis, virtutis utiq; Angelicæ.

Item pro Dominica 14. post Pentecosten in illa Evangelii Verba *Considerate Lilia agri, &c.* Symbolum utiq; Castitatis Lilium. Hancq; Castitatem Commendandam suscipimus.

Potissimum tamen adhiberi poterit in Laudem Sanctarum quarumcunq; Virginum v. g. S. Agnetis, Magdalenæ de Pazzis &c. Imò etiam in Laudem S. Casimiri, B. Aloysii Gonzagæ, &c.

Punctum Tertium.

De OBEDIENTIA.

CONficiet Concionem Dominicæ primæ infra Epiphaniam in illud Evangelii de Christo: *Erat subditus illis.* Quo nobis præbuit exemplum obedientiæ, multum insignis. De qua nos in præsens. Expendendo ex eodem Evangelio hæc adjuncta: Quis, quid, ubi, cur, quomodo, quando.

Item Dominicæ tertiæ, post Epiphaniam: ubi in Evangelio Centurio ad Christum: *Et ego homo sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: vade & vadit. & alii, veni & venit, & servo meo fac, & facit:* Ex occasione igitur hujus ipsius tractari potest

in eadem Concione de obedientia erga DEVM, & erga homines, applicando punctum prædictum eidem materiæ.

Punctum idem conficiet facile Concionem Dominicæ quartæ post Epiphaniam: ubi Christo imperante, mare fluctus suos composuit, venti siluerunt; per id erga DEUM suam testati obedientiam: quam & ego hominibus tam erga DEUM quàm erga ipsos homines svadendam suscipio.

Potest idem punctum conficere Concionem Dominicæ quartæ post Pentecosten. Ubi illud S. Petri ad Christum: *In verbo tuo laxabo rete*: In qua pariter agi posset de subordinatione nostra erga DEVM & homines, in loco DEI existentes.

Potest insuper conficere Concionem pro Dominica 19. post Pentecosten. Vbi in Evangelio de servis missis ad invitatos ad nuptias, & aliquibus ex eis occisis: & hæc plane singularis ad mortem usq; sese resolvens obedientia.

Tandem poterit conficere Panegyrim pro Festo S. Francisci Xaverii, assumptis Evangelii verbis: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium.* Vbi tractandum quomodo S. Franciscus satisfecerit huic mandato: quomodoq; hac in parte paruerit tam Deo quam superioribus jubentibus: quàm excellentis ac insignis

fuerit

fuerit obedientiæ in omnibus ; ita ut etiam illud ad amussim impleverit quod S. P. Ignatius de suis (uti testatur in sua Epistola Gosvinus Nickel nostræ Societatis Generalis) dicere solitus : nempe uno illos pede stare debere in terra, alterum sursum levare ; quo testentur, se paratos ad quocunq; pergendum ex mandato & nutu superiorum.

ADHORTATIO III. Pag: 361.

De Patientia.

POtest conficere Concionem pro Dominica sexta post Epiphaniam de grano Synapis. Vbi idem granum & arbor Synapis potest esse Symbolum patientiæ : ad quem illa gradum, excellentiam, amplitudinem, excrescere debeat. De hocq; ipso eâ Concione dicendum.

Item pro Dominica Sexagesimæ : ubi Christus in Evangelio ; *Hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patentia.* Vnde & hic tractari potest de gradibus & fructibus patientiæ.

Item pro Dominica infra Octavam Ascensionis. Vbi Christus suis Discipulis prædicit ; quas persecutiones toleraturi erant, adhortando illos ad patientiam.

Item pro Festis præsertim quorumcunq; Martyrum v.g. Stephani & aliorum, ac etiam pro Festo Sancto-

rum

rum Omnium, qui per patientiam Regnum Cœlorum obtinuerunt: ſumpto v. g. hoc Themate: *Beati qui perſecutionem patiuntur.*

ADHORTATIO IV.

Pag: 375.

De Humilitate.

COmmunicabit materiam Concioni Dominicæ primæ Adventus. Vbi illud Chriſti in Evangelio: *Reſpicite & levate capita veſtra.* Imò potiùs demittenda, & uſq; ad terram proſternenda tunc erunt. Humilitas utiq; quò major, eò ſublimioris ſanctimoniæ majorisq; in DEI Judicio ſecuritatis fundatrix, magnorum lucrorum ſpiritualium Parens. Prout in illis Pſalmi verbis elucet: *Ponens in Theſauris abyſſos.* Certè enim primo theſauri quicunq;, ſed maxime ſpirituales, quò majores ſunt, eò profundioris humilitatis abyſſo indigent. Deinde quoniam pleriq; legunt: *Ponens Theſauros in abyſſis*, non dubium quod abyſſus humilitatis, admodum magnis ac pretioſis à DEO ſibi liberaliter collatis theſauris gaudet. Quanquam apud Salomonem etiam regali humilitas indumento ſplendet, in illo ſcilicet gradu; quem dum ſibi idem Salomon ſub pedibus ſternit, ſimul purpurâ induit *Ferculum* (Cant. 3.) *fecit ſibi Rex Salomon; aſcenſum purpureum media Charitate conſtravit.*

Item Dominicæ tertiæ Adventus: ubi in Evangelio humilitas S Joannis describitur.

Item Dominicæ quartæ Adventus: ubi illud Evangelii: *Omnis mons & collis humiliabitur, omnis vallis implebitur.*

Item Dominicæ primæ post Epiphaniam: ubi illud in Evangelio de Christo: *Erat subditus illis.* Certe ex magna humilitate.

Item Dominicæ tertiæ post Epiphaniam: ubi in Evangelio illud Centurionis: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, &c.* In quo eximia ejusdem Centurionis eluxit humilitas.

Item Dominicæ Sexagesimæ ex occasione Patrisfamilias Seminantis semen, ejusq; seminis cadentis super petram ac etiam in terram bonam; ubi sicut semen super petram cadens, est Symbolum superbiæ; ita semen cadens in terram bonam ibiq; se profunèd demittens & sepeliens, ac etiam afferens fructum centesimum est Symbolum humilitatis.

Item Dominicæ quartæ post Pentecosten: ubi illud in Evangelio S. Petri conclusa piscium multitudine: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Et certe rara humilitas in affluentia.

Item Dominicæ 10mæ post Pentecosten: ubi in Evangelio de publicani humilitate.

Item Dominicæ 21. post Pentecosten: ubi illud de servo decem milliũ talentorum debitore: *Procidens autem servus ille orabat dicens: Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum & debitum dimisit.* En quanta vis humilitatis humilisq; orationis! ex qua occasione illa tractanda, quæ in ea exhortatione ponuntur de humilitate.

Item Dominicæ 23. post Pentecosten: ubi de Hemoroissa: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus*: Idq; ex profunda humilitate.

Præcipue autem locum habere potest in Festo S. Francisci Borgiæ, qui singulari humilitate inclaruit: sumpto Themate: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Nec difficultas de primo: *Ecce reliquimus omnia.* Palam enim est orbi; S. Franciscum Borgiam tot & tanta reliquisse, nec sibi quidquam reservasse. Quo ad secundum autem, nempè: *Secuti sumus te?* hic plus difficultatis. In quo enim S. Borgias secutus & assecutus quantum fieri potuit Christum? de Christo Apostolus: *Humiliavit semetipsum formam servi accipiens* En igitur S. Franciscus Borgias, huic maxime exemplari institit, ac ipsa humilitate inclaruit eximiè.

Non minus idem ipsum accommodari potest S. Francisco Assisinati, cujus humilitas quò profundior, eò illum altius promovit.

ADHORTATIO V. Pag. 387.

De Resignatione in Voluntatem DEI.

POtest attribui Dominicæ tertiæ post Epiphaniam: ubi in Evangelio, leprosus ad Christum: *Domine si vis, potes me mundare.* Unde quis voluntati Divinæ se non committat? cùm sit ita efficax ad omnia: quis propriæ voluntati fidat tam inefficaci debili & infirmæ? hoc igitur ipsum suscipiendum, ut svadeatur.

Potest præterea assumi pro Concione Dominicæ 5tæ post Epiphaniam: ubi ad Patremfamilias servi de colligendis zizaniis. *Vis imus & colligimus ea.* In quo non proprio arbitrio, sed sola Patrisfamilias voluntate regi volebant. Et hoc ipsum laudabile, & eximiæ virtutis, non à proprio arbitrio, sed à solius Divinæ voluntatis nutu pendere in omnibus.

Item poterit valere pro Concione Dominicæ septimæ post Pentecosten. Ubi Christus in Evangelio: *Non omnis qui dicit mihi Domine Dne: intrabit in* Regnum Cœ*lorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in Regnum* Cœ*lorum.* Et certe quid nos magis evehit, uti ad summum virtutis & donorum DEI, ita ad sublime præmium, quàm voluntatis nostræ abnegatio, Divinæ subordinatio.

Item servire poterit pro Dominica 14. post Pentecosten: ubi illud Christi in Evangelio: *Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Quò igitur in his necessitatibus recurrendum? certe non aliò quàm ad voluntatem & Providentiam Divinam. Et hic profectò quo ad omnia fortunatus, qui suæ voluntatis abnegans, unius Divinæ voluntatis de se dispositionem prospectat.

Ex occasione quoq; assumpti hujus ex Evangelio Thematis: *Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum?* ex quo scilicet omnes nostræ staturæ sive Physicæ sive Morales sive Spirituales ac supernaturales à DEI arbitrio & providentia pendent. Huicq; ipsi voluntati & providentiæ se suaq; omnia committere optimum est.

Item pro Dominica 18. post Pentecosten: ubi illud Evangelii: *Ascendens JEsus in naviculam transfretavit, & venit in civitatem.* Quæ vero est talis navicula! qua securè possimus transfretare ipsum mare hujus mundi, omnes ejus fluctus & procellas. Certè non alia melior; nisi voluntas DEI.

Facilis quoq; hujus adhortationis applicatio in laudem S. Cajetani suum institutum in voluntate & Providentia Divina fundantis.

ADHORTATIO VI. Pag:399.

De Mortificatione Interna & Externa.

PARS PRIMA

De Mortificatione Interna.

SErviet pro Dominica tertia Quadragesimæ : ubi in Evangelio illud Christi de Satana & anima hominis justi: *Cum venerit, invenit eam scopis mundatam & ornatam.* Quæ vero illæ scopæ sunt; quibus domus humana, scilicet corpus & anima mundantur? certe non aliæ, quam præter alias mortificatio interna passionum. De qua Psaltes: *Scopebam Spiritum meum.* Et hæc certe multum ad ornatum animæ, per cæteras virtutes comparandum conducit: modo sit talis, qualis in ea adhortatione describitur. Talis inquam (præter ibi posita) qualem à nobis Sanctus Apostolus requirit: *Exuentes* (inquit) *veterem hominem*: Et hoc est insigniter esse mortificatum, nempe ipsum hominem exuendo. Ad idq; ipsum visus aspirasse idem S. Apostolus cùm diceret: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hinc illud ejusdem ipsius Apostoli: *Vivò ego jam non ego: vivit vero in me Christus.*

Non

Non minus hæc ipsa materia assumi potest pro Panegyri B. Aloysii Gonzagæ & aliorum, qui hac in parte excelluerunt præ aliis.

PARS SECUNDA.

De Mortificatione Externa.

PRo Concione Dominicæ sextæ post Epiphaniam: ubi Regnum Cœlorum assimilatur grano Synapis: Quid verò per illud intelligi potest? certè præter alia, mortificatio externa: quæ quò magis in nobis abundat & propagatur, ac velut, uti granum Synapis, in arborem crescit, tantò promptiùs virtutes velut volucres Cœli ad eam convolant, & in ea securius conquiescunt, tantò nos ipsos sublimiùs hæc ipsa mortificatio Cœlo admovet.

Potest quoq; trahi in laudem S. Francisci Borgiæ, qui insigni maceratione corporis claruit.

ADHORTATIO VII. Pag. 414.

De Oratione.

POtissimus ejus usus Dominica quinta post Pascha: in illud Evangelii: *Petite & accipietis.*

Potest

Poteſt tamen etiam habere locum Dominica prima poſt Epiphaniam. Ubi de Chriſto: *Remanſit JESVS in Jeruſalem.* Certe verò non per plateas deambulans, lapideas & domos inviſens, &c. ſed potius in Templo cum DEO Patre verſans; uti ipſe de ſe: *In his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe:* Nec alibi etiam à parentibus inventus. Idq; ut nobis exemplo ſuo ad amorem Orationis præluceret: quem ego quoq; auditori ſuadendum aſſumo.

Item Dominica prima Quadrageſimæ: ubi in Evangelio de Chriſto: *Ductus eſt JESVS in deſertum à ſpiritu.* Ibiq; tempus 40. dierum & noctium non tantum jejunio ſed etiam Orationi impendit.

Item Dominica quarta Quadrageſimæ: ubi in Evangelio de Chriſto: *Subiit in montem JESVS, & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis:* Partim ſcilicet illos inſtruendo partim orando, quod illi erat conſvetum; nempe in montes excurrere ad orandum. Unde etiam *cum cognoviſſet, quia venturi eſſent; ut facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus:* Ubi proculdubio orationi ad Patrem tempus inſumpſit.

Item Dominica 9na poſt Pentecoſten: ubi illud Chriſti in Evangelio: *Domus mea domus orationis eſt.* Quæ vero hæc domus DEI & Chriſti? certè non tantùm Eccleſia, non tantùm Domus Religioſa; ſed etiam

Domus quæcunq; Christiana debet esse domus ejusdem ipsius DEI, adeoq; domus orationis. De hac igitur, oratione & amore illius nobis disserendum.

Quanquam in Festo quoq; S. Mariæ Magdalenæ hujus materiæ locus ex occasione assumpti ex Evangelio Thematis : *Vade in pace.* Quo vero vadendum ei erat? nempe præter alia in Massiliam : inde in eremum, in inaccessam rupem. Quid autem ibidem egerit? figamus oculum. Nec verò aliud videbimus, quàm eandem Magdalenam innumeris macerationibus innocens corpusculum affligentem, atq; continuæ orationi & contemplationi immersam. Quod de se Sponsa Cant. 4. hoc idem Magdalena in rupem prædictam sese expediens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Per myrrham mortificationem, per thus orationem intelligimus. Hinc illa cœlitum admiratio: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* additur vero : *& universi pulveris pigmentarii:* Ex myrrha nempe & thure id est mortificatione & oratione, universitas odoramentorum id est virtutum meritorum & gratiarum divinarum promanat.



ADHORTATIO VIII Pag. 430.

De Amore DEI.

HÆc potissimum pro duabus Dominicis usui esse potest: nempe pro Dominica 12. & 17. post Pentecosten: ubi in Evangelio de diligendo DEO ex toto corde, &c.

Potest etiam servire pro Festo S. Augustini, S. Ignatii de Lojola, S. Philippi Nerii, S. Teresiæ, &c. qui insigni DEI amore flagrarunt. Imò etiam in Festo S. Magdalenæ, de qua illud Christi: *Dilexit multum.*

Hîc verò potissimum locum habet illud Apostoli Pauli ad Romanos Cap. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi? &c. &c. Certus sum: quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli &c.* Et in his plane verbis Apostoli genuina amoris erga DEUM heròici descriptio.



300.-
K

